DE IDENTITATE CORPORIS MORTALIS ET CORPORIS RESURGENTIS

237.7
Seg37

DE IDENTITATE CORPORIS MORTALIS ET CORPORIS RESURGENTIS

DISPUTATIO THEOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

FRANCISCUS SEGARRA, S. J.

IN COLLEGIO SANCTI IGNATII (SARRIÁ) PROFESSOR



22.198

Edidit «Razón y Fe», Plaza de Santo Domingo, 14
Apart. 8001. — Madrid
1929

5858

Theol. - V - 131

LICENTIA ORDINIS

Barcinone, 31 decembris 1928.

Imprimi potest: Ioachim Vilallonga, S. I., *Praep. Prov. Arag.*

LICENCIA DEL ORDINARIO

Nihil obstat: El Censor, Dr. Alfonso M.ª Ribó Bulbena, Canónigo

Barcelona, 12 de marzo de 1929.

Imprimase: † JOSÉ, Obispo de Barcelona

Por mandato de Su Excia. Ilma.,

Dr. Francisco M.ª Ortega de la Lorena, *Canciller-Secretario*

PROPRIETAS LITTERARIA

30510. — Ex Typis Eugenii Subirana. — Barcinone

PROOEMIUM

Anno 1922 in Ephemeridibus «Estudios Eclesiásticos» quaedam scribere coepimus de identitate corporis mortalis et corporis resurgentis. Postea saepe a nobis postulatum est ut perfecta, in latinum conversa atque uno libello colligata, eadem iterum curaremus edenda. Cui voluntati ut faceremus satis, nobis adhuc integrum non fuit. Nunc aliquando tandem, quibusdam, quibus urgebamur, expeditis, totam disputationem latine redditam edimus, neque tamen perfectam sed talem fere qualis antea prodierat in publicum. Solum videlicet adjunximus quaedam ex IV et V saeculo testimonia. Nobis praeterea nefas esse duximus quum alia praeclara tum praesertim S. Petri Canisii ac Beati Roberti Cardinalis Bellarmino testimonia, etsi multo recentiora, silentio praeterire. Tandem in iis quae objiciuntur refellendis, contrariam quamdam rationem breviter expendimus ab illustri scriptore per litteras ad nos datas oppositam, qui ad Patrum explicationem infirmandam argumentum sumit ab aetate resurgentium.

Nunc de genere disputationis ac de ratione scribendi pauca notari oportet. In primis nostra haec disputatio unius fere quaestionis explicatione perpetuo continetur; nam ceteris omnibus, quae plurima sunt, omissis, tantum sibi assumit quae ad identitatem pertinent corporis mortalis ac corporis resurgentis. Prae-

terea vix dici potest historica; praecipue enim ac proprie theologica est: similis, ne dicamus eadem, iis disputationibus quae *theses* dici solent in schola. Deterrebitne id nonnullos a legendo? Dolemus; at ipsi viderint. Quin etiam, aliud addimus: In hac eadem, quaecumque est, disputatione non solum rem dogmaticam sed si quid est praeterea historiae, ad hujus solius legis normam direximus quae jubet verum diligenter conquiri, sincere dilucideque dici, nihil affirmare quod non probes, nihil tacere quod aut necessarium est aut utile ad causam recte sapienterque dijudicandam. Illa vero, quae recenti tempore a nonnullis tamquam necessariae ad historiam leges studiose praedicantur, quod v. gr. primo fundere debes testimonia quasi incertus quem exitum habitura sit disputatio ac penitus occultans cogitationes proprias ne, ut ajunt, corrumpas historiae *objectivitatem;* quod deinde conclusiones exprimas; alia id genus: fatemur a nobis non satis intelligi.

Latina lingua usi sumus, quantum potuimus, Tulliana. Id nobis, praesertim initio, perarduum fuit quippe qui multo abhinc tempore hujus exercitationem reliqueramus. Nihilo minus, quum Romanus Pontifex Pius XI ad hanc etiam latini sermonis laudem vehementer hortetur, atque ad id obtinendum ut nova Romae habeatur schola praeceperit, officium nostrum esse duximus, etiamsi non parvus nobis suscipiendus esset labor, sanctissimae huic voluntati pro nostra parte diligenter penitusque obsequi, atque eo magis quod hic non est ad scholam adhibendus libellus. Quo in genere quaedam bene latina, imo et Tulliana, quae

tamen nonnulli vel etiam multi quasi mendosa devitant, usurpare non dubitavimus, velut ista: *exemplorum eligendi facultas, aliae* (in genitivo) &. Contra, multa constanter rejecimus quae videri jam possunt usu consecrata, velut: *textum, objectionem, dubium* (subst.), *efformo, praecedo,* &. Quum enim eaedem cogitationes sine his verbis, quae a Cicerone absunt, plane et latine reddi posse videantur, nihil esse putavimus cur in hoc libello morem istum usumque sequeremur.

Scribebamus in Octava Sacratissimi Cordis Jesu, cui nos et omnia nostra in aeternum volumus consecrata.

In Collegio Maximo Sarrianensi, die 22, mense Junio, 1928.

INDEX PARTIUM

QUIBUS HAEC DISPUTATIO DISTINGUITUR

Pag.

Aditus ad causam et ingressio v

PARS PRIMA

Caput primum

Quid doceant ac teneant Sancti Patres 5
§ I: a saeculo I ad saeculum V 7
§ II: a saeculo VI ad saeculum VIII. 67

Caput alterum

Quaedam alia argumenta breviter perstringuntur . . 97
§ I: Sacra Scriptura 97
§ II: Concilia 99
§ III: Liturgia 101
§ IV: Communis fidelium sensus 104
§ V: Mira quaedam consectaria. 107

PARS ALTERA *(historica praesertim)*

Ingressio 113

Caput primum

Quid teneant Orientis auctores usque ad schisma . . 116

Caput alterum

Quid teneant Occidentis auctores 119
§ I: Periodus prima, a saeculo IX ad saeculum XIII 119
§ II: Periodus altera, a saeculo XIV ad saeculum XVIII. 146
§ III: Periodus tertia, a saeculo XIX ad nostrum usque tempus 176

PARS TERTIA

Pag.

Ingressio 211

Caput primum

Primum quod objicitur: totius materiae renovatio . . 213
§ I: Communis modus istius objiciendae renovationis 213
§ II: Nova quaedam forma eorum objiciendi quae de renovatione materiae sunt hactenus disputata 234

Caput alterum

Contrariorum alterum: materia prima «pura potentia», *forma vero seu hominis animus* «actus substantialis unicus in homine» 242
Epilogus 259
Index nominum 271

CONTRACTA QUAEDAM SIGNA

CB = (Corpus Berolinense) Die griechischen christlichen Schrifsteller der ersten drei Jahrhunderte, herausg. von der Kirchenväter-Kommission der Königl. preuss. Akademie der Wissenschaften (zu Berlin). Leipzig 1897 sqq.

CV = Corpus (Vindobonense) scriptorum ecclesiasticorum latinorum editum consilio et impensis Academiae litt. caesareae Vindobonensis. Vindobonae 1866 sqq.

DTC = Dictionnaire de théologie catholique, publié sous la direction de A. Vacant, E. Mangenot et E. Amann. Paris 1903 sqq.

F = Funk F. X, Patres apostolici, ed. 2, 2 vol., Tubingae 1901; id., Didascalia et Constitutiones Apostolorum, 2 vol., Paderbornae 1905.

ML MG = Migne J. P., Patrologiae cursus completus. Series prima latina, Parisiis 1844 sqq. — Series graeca, Parisiis 1857 sqq.

MGh = Monumenta Germaniae historica edidit Societas aperiendis fontibus rerum germanicarum medii aevi. Berolini, Hannoverae.

Msi = Mansi, Joann. Dominici, Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio. Parisiis, Lipsiae-Arnemii, Lipsiae 1901 sqq.

TU = Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur, herausg. von O. v. Gebhardt und A. Harnack, Leipzig 1883 sqq.

De identitate corporis mortalis et corporis resurgentis

De identitate corporis mortalis corporisque resurgentis, qui gravissimi de resurrectione dogmatis locus est sine ulla dubitatione praecipuus, deviam quamdam ab antiqua explicationem nonnulli theologi nostris diebus nova juventute novaque auctoritate donare voluerunt. Illam ergo de integro diligentissime expendi necesse est ut, antequam in theologiam admittitur, quo jure tandem accedat, in bono lumine collocetur. Ad hujusmodi faciendam investigationem, juverint fortasse quae, tametsi tenui imperfectaque ratione, nunc disputaturi sumus.

«Credo *hujus, quam gesto, carnis* resurrectionem», «Omnes cum *suis propriis* resurgent *corporibus quae nunc gestant*» etc. etc., tradunt aperte Symbola atque Concilia. Resurgemus itaque omnes *iisdem corporibus*, iisdem, inquam, numero quae nunc habemus[1]. Hactenus dogma ipsum. Verum ad hanc, quae dici solet identitas *numerica*, quid opus et quid satis est? Ex communi explicatione necesse

1. Dicit v. gr. Cardinalis Billot: «Regula fidei aperte tradit corpora resurgentium fore eadem ac prius, tum specie tum numero...» *Quaest. de Noviss.*, q. VII, th. XIII, ed. 5, 1921, pag. 162.

est corpus humanum resurgens non ex eodem tantum animo constare sed eadem etiam ex materia ex qua mortalem vitam agens constiterat, et profecto ea materia quae sit et possit dici eadem, prius etiam quam animo rursus animetur. Atque haec quidem de universo genere loquimur, omittentes interea subtilius definire quaenam accurate materia iterum jungenda esse videatur. At vero explicatio illa, ad quam excutiendam aggredimur, nihil hujusmodi identitatis materiae necessarium esse opinatur, quum videlicet ex ejus mente iisdem possimus resurgere corporibus, iisdem plane quibus nunc concreti sumus, etiamsi illud, quidquid est, materiae ex quo sunt post mortem corpora reficienda, novum quiddam sit a Deo ex nihilo creatum. Hac affirmatione sive potius negatione apud eos omnes fixa et stabilita qui a communi explicatione aberrant, digrediuntur iidem nec sibi consentiunt disputantes quid omnino postuletur satisque sit ad identitatem numericam corporis mortalis et resurgentis. Enucleabimus postea; nunc memoria teneamus partem solum *negantem* explicationis.

De qua ut judicium sapienter ferre possimus, in tota hac de identitate corporis resurgentis causa duo penitus diversa, acerrimo ac perpetuo conatu numquam satis amplificando, sunt prorsus omninoque sejungenda ne eorum confusio toti causae tenebras offundat e quibus nulli jam possimus emergere. Enimvero alterum est solum philosophicum, nimirum: quid *ex se* sive *ex sola rei natura* exigitur satisque est ut significatione quadam vera corpus mortale et corpus resurgens identitatem habeant, ut ajunt, substantia-

lem numericam? Alterum est omnino theologicum, videlicet: Sacra Scriptura, Patrum Traditio et, ut infinite loquamur, fontes theologici demonstrantne aliquid atque praefiniunt de illa identitate numerica quam *re vera,* ex libero Dei decreto resurgentia habitura sunt corpora? Si dogmate posito ac stabilito, taceret deinceps theologia ita ut neque Scriptura nec Patres nec theologica ulla argumenta quidquam novi suppeditarent, ad philosophiam esset confugiendum ut in ejus finibus quaestionem dijudicaremus vel potius quid veri esset similius disceptando inveniremus; tunc vero praeclarum locum haberent metaphysica illa «de materia et forma», «de individuatione compositi materialis» et quae sunt generis ejusdem. Verum si plus quam nudam dogmatis affirmationem documenta continent, ea in primis excutienda nobis sunt eorumque significatio penitus investiganda, quum his documentis fortasse clarius subtiliusque definiatur quatenus quoque se porrigat modo identitas quam corpori mortali ac resurgenti Deus inesse decrevit. Aliam si forte ingrederemur viam, profecto aberrraremus, in ipsoque ad disceptandam quaestionem instrumento egregie falleremur, atque illud nobis turpiter accidere posset ut, multis copiose arguteque e media philosophia dictis, re tamen vera nihil ad propositum et omnino nihil dixissemus.

Quae quum ita sint, illud jam occurrit de quo plane aperteque interrogemus: Suppetitne Traditio ceterique fontes argumenta quae satis possint ad deligendam de resurrectionis dogmate certam explicationem, atque in eo quidem quod totius quaestionis

causam fere continet, identitatem dicimus corporis resurgentis? Ex eorumne documentis animi identitas aut haec simul cum oris figura reliquisque corporis lineamentis quae sensu aestimantur aequalia, satis erit ut corpora resurgentia eam habeant identitatem quam re et veritate secundum Dei decretum habitura sunt? An fortasse opus est ut animo rursus animetur, tota omnino an solum pars nihil interim refert, eadem illa materia quam aluit formavitque animus, dum mortalem vitam traduceret, et quae fieri potest ut in universum mundum dissipata rapiatur, innumerabilibus modis mixta, coagmentata, copulata?

Ut ad quaestionem respondeamus, res in primis et documenta amplitudine quadam proponemus, eademque simul dispicere atque excutere conabimur; deinde quid ex iis veri simile, quid porro sanctum atque tenendum sit, utut possumus, dijudicabimus.

PARS PRIMA

CAPUT PRIMUM

QUID DOCEANT AC TENEANT SANCTI PATRES

Aggrediamur ad causam, illud breviter aperteque affirmantes convenire inter omnes Sanctos Patres scriptoresque veteres, quos ecclesiasticos vocant, de identitate hujusmodi qua, ut modo dicebamus, eadem materia animo rursus animetur. Prius vero quam id stabilimus, ad rem mirabilem animos parumper attendamus.

Resurrectionis doctrina acerrime impugnabatur aut irrisione etiam excipiebatur inter gentes vel inde ab ipsis conditae Ecclesiae primordiis. «Ut carnis restitutio negetur, de una omnium philosophorum schola sumitur»[1], aiebat Tertullianus; atque ipso etiam saeculo V non minus graviter S. Augustinus: «In nulla ergo re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe et contentiose contradicitur fidei christianae, sicut de carnis resurrectione»[2]. Et re quidem vera, adversus illam intorquebantur innumerabiles ingeniosaeque argumentationes; quin, ipso etiam

1. *De praescript. adv. haeret.*, cp. VII; ML., 2, 22.
2. *In Psalm.* LXXXVIII, serm. II; ML., 37, 1134.

rerum pondere christianorum fidem profani homines inane quiddam esse et prorsus vacuum conabantur ostendere. «Videamus nunc an sint resurrecturi» [1], S. Pothini carnifices sociorumque martyrum exclamabant, quum eorum cineres in fluentem Rhodanum dissipandos projecissent. In tanta eademque tam constanti dimicatione, ecquonam tandem pacto Sancti Patres in certamen defensionemque dogmatis prodierunt? Ut temporis adjuncta resque ipsa postulabat, dogmati penitus intelligendo, explicando, acriter se studioseque dediderunt. Nobilissimae causae patrocinium armavit ingenium acuitque eorum stylum ut hac de re libros etiam integros accuratissimosque conscriberent; profecto quas primo ediderunt veteres scriptores ecclesiastici de nostris christianorum argumentis disputationes, *monographiae* de resurrectione extiterunt. Quibus in omnem partem copiose versant atque acriter dispiciunt quae adversarii de anthropophagis intentabant, de corporibus dissolutis quorum particulae discerptae, distractae, cum aliisque concretae et jugatae conspectum omnem effugiunt ac paene interiisse dicendae sunt. His omnibus ut respondeant, quam maxima possunt efficientia, Patres toto pectore contendunt. Nihilo minus responsionum omnium universitas argumentorumque complexus, quam late patet, totus circum illud ante constitutum rata immutabilique constantia, torquetur et vertitur: nimirum cum eadem materia quo fuerit cumque loco, animum rursus esse copulandum, quum eam

1. *Eccles. Vienn. et Lugd. epist.*, n. XVI; MG., 5, 1448.

ab extremis etiam mundi oris revocatam aut ex intimis terrae oceanique tenebris erutam, ne atomo quidem, si usus erit, relicta, sapientissimus et praepotens Deus congregare decreverit.

§ I. Saeculo I

Non sine providentis Dei consilio, ipso jam primo saeculo, carnis resurrectionem ex eadem materia futuram esse, documento maximae auctoritatis breviter ac satis dilucide traditum videmus. De epistola prima loquimur S. Clementis Romani ad Corinthios, quod quidem primum est Romani magisterii monumentum, iisdem, quibus alia ejusdem magisterii, ornatum et insigne notis: altarum videlicet subtiliumque quaestionum temperantia et moderatione, traditionis cultu et religione, veritatisque, quam magna cum securitate docet, sancta et firma possessione.

Placet auctoritatum originem e Romani Pontificis litteris ad nobilissimam ecclesiam duci, eodem fere tempore conscriptis quo postrema sunt Apostolorum opera conscripta. Apostolicam itaque, quin et Romani Pontificis vocem audiamus.

De resurrectionis praemio disserens *S. Clemens Romanus* «dies, inquit, et nox resurrectionem nobis ostendent; nox cubat, exsurgit dies; abit dies, nox ingruit et insequitur. Sumamus fruges: semen qui et quomodo fit? Egressus est seminator et jecit in terram quaelibet semina, et quae arida et nuda in terram ceciderunt, dissolvuntur; deinde *ex dissolutione* ma-

gna divinae providentiae majestas ea resuscitat[1]»; «... avis est quae phoenix vocatur.... Ex carne vero ejus putrefacta vermis quidam nascitur, qui animalis defuncti humore nutritus plumescit...»[2]. Haud obscurum esse videtur quid S. Clemens sentiat, in seminis exemplo, quo jam erat usus S. Paulus, illud premens ἐκ τῆς διαλύσεως, videlicet ex putrido ac dissoluto elici fundique quod gignitur. Illustrius videri potest apud eumdem Patrem phoenicis avis simulacrum quod nobile gentibus erat exemplar quo resurrectio notabatur, atque ad idem propositum solitum est deinceps a Patribus adhiberi. Ergo, ut explicat idem Pater, vermis ille, in novam phoenicem vertendus, ex iisdem avis mortuae reliquiis generatur atque nutritur. Pari itaque ratione suis e reliquiis ac cinere in novam eamdemque immortalem vitam homines resurgent.

Saeculo II

Ad apologetas alterius saeculi accedamus, quorum sit princeps *S. Justinus* († 163-7). Qui quidem in prima Apologia rem strictim attingit. Speramus, in-

1. «...ἅτινα (σπέρματα) πεσόντα εἰς τὴν γῆν ξηρὰ καὶ γυμνὰ διαλύεται· εἶτ' ἐκ τῆς διαλύσεως ἡ μεγαλειότης τῆς προνοίας τοῦ δεσπότου ἀνίστησιν αὐτά...» **I ad Cor. cp. XXIV; F, v. 1, pg. 132.**

2. «... σηπομένης δὲ τῆς σαρκὸς σκώληξ τις γεννᾶται, ὃς ἐκ τῆς ἰκμάδος τοῦ τετελευτηκότος ζώου ἀνατρεφόμενος πτεροφυεῖ...» **L. c., cp. XXV.**

Codex *Hieros.* vel *Constant.* legit ἐγγεννᾶται. Quam lectionem adhibuerunt Gebhard-Harnack. Quidquid est, mens est plana, ex iis saltem quae consequuntur. En quomodo S. Cyrillus Hieros. S. Clementem citet ejusque mentem explanet: Εἶτα ἐκ τῆς σαπείσης σαρκὸς τοῦ τελευτήσαντος σκώληξ τις γεννᾶται..» Catech. XVIII. n. 8; MG. 33, 1025.

quit, «nostra corpora etiam mortua et in terram conjecta nos rursus recepturos»[1]. Clarius paulo post, eos alloquens ad quos Apologiam scribebat et simul corpora disjecta ac dissipata demonstrans, eadem affirmat fieri omnino posse ut rursus a Deo suscitentur: «...eodem modo fieri posse existimate ut dissoluta hominum corpora, et instar seminum in terram resoluta, Dei jussu, certo tempore resurgant et incorruptionem induant»[2]. Jam vero ejusmodi pronuntiata, in quibus id de quo resurrectio praedicatur non corpus est quod animo viget aliturque, sed ipsum cadaver disjectum atque dissipatum, clare prae se ferunt resurrectionem non perfectum iri nisi cum animo eadem materia copulatur. Etenim si corporis resurgentis, ut idem sit quemadmodum esse debet, nihil admodum interest ecquaenam rursus materia adhibeatur, profecto ridicula res est, quin imo plane contorta veritatique contraria S. Justinum, corporis reliquias demonstrantem, decernere easdem ipsas esse resurrecturas. Quod quidem memoria in posterum teneri necesse est.

Quod si nunc quatuor longa ex libro περὶ ἀναστάσεως servata monumenta proferremus quae aut S. Justini sunt aut omnino auctoris antiquitate praestantis[3], videremus omnia paene, quae contra resurrectionem intenduntur, non aliter refelli atque eo aperte posito eamdem materiam ad vitam esse revocandam.

1. Apol. I, n. 18; MG. 6, 356.
2. L. c., n. 19; col. 357.
3. Vide v. gr. Bardenhewer, *Geschichte der altkirchlichen Literatur*, I; 1913, pgs. 246-247.

Magistrum audivimus; succedat discipulus *Tatianus Assyrius* (fl. 165) cujus haec describimus ex Apologia christianismi seu oratione «adversus Hellenas», quod opus non multo post Tatiani in Ecclesiam cooptationem scriptum videtur: «Propterea etiam corporum resurrectionem futuram credimus, cum omnia fuerint absoluta... Etiamsi mea caro igne evanescat, diffusam instar vaporis materiam mundus excepit. Etiamsi in fluminibus, etiamsi in mari absumar, etiamsi a feris dilanier, thesauris recondor divitis Domini», qui «conspicuam sibi soli substantiam, ubi volet, in pristinum statum revocabit»[1].

Tametsi perspicuum est, tamen ne deinceps iterum atque iterum eodem revolvamur, animadvertamus necesse est hanc Tatiani contentionem a Patribus quamplurimis saepe renovatam, qua in lectoris mente penitus inhaerere vult materiam, ex qua erat corpus coagmentatum, nequaquam in nihilum interire, quamvis eam a reliquis mundi partibus non possimus distinguere; imo, si corpora dilacerentur, comburantur, abditis locis discludantur, oculis tamen Dei semper esse subjecta, ubi ubi eorum omnium reliquiae contineantur, qualescumque temporum curriculo subierint vicissitudines: hanc, inquam, contentionem plane ostendere a Sanctis Patribus priscisque scriptoribus ecclesiasticis eam resurrectionem mente comprehendi quae nihil est aliud nisi ejusdem omnino materiae, quam animus antea aluerit, nova de integro assumptio et animatio. Etenim si secus, si nimirum satis

1. N. 6; MG. 6, 817, 820.

esset quamvis materiam animo rursus animari, quid tandem significationis habuisset laboriosa eorum sollicitudo atque illarum crebra similiumve exaggeratio notationum? Profecto totum illud cassum quiddam diceres et inanem amplificationem.

De *S. Melitone* (fl. 161-167), ecclesiae Sardium in Lydia Episcopo, viro, ut fertur, docto in primis, non restant nisi pauca exesa tempore monumenta, quae tamen omnia tamquam germana non omnibus probantur, utique pars eorum major. Sanctus hic vir quodam loco sic brevi decernit: «Propterea Pater misit Filium suum e coelo sine corpore, ut, postquam incarnatus esset in utero virginis et natus esset homo, vivificaret hominem et colligeret membra ejus, quae mors disperserat, quum hominem divideret»[1]. His postremis verbis, licet subobscuris, resurrectio modusque resurrectionis satis significari videtur.

Quaestionem de resurrectione, singulari acumine ingenii, scribendi genere diserto et concinno, gravibus uberibusque sententiis distincto, «philosophus christianus atheniensis» *Athenagoras* (fl. circ. 177) disceptat ac dirimit. Longa eademque multo clarissima testimonia deligi possunt ex egregia disputatione περὶ ἀναστάσεως νεκρῶν, digna profecto quam philosophus christianus lucubrarit. Satis nunc erit in memoriam ea revocare quibus post exordium fieri posse pronuntiat mortuorum corporum resurrectionem. Neque facultas, inquit, Deo neque voluntas deest. Omittamus alterum membrum quod praeclare auctor evolvit.

1. *Corpus apolog.*, ed. Otto, v. IX, pg. 419, fragm. XIII.

Ad primum quod attinet, Deus, ait, non posset resurrectionem efficere aut scientiae aut facultatis seu potestatis inopia. At vero quemadmodum humana corpora *novit* effingere, ita «facile patet neque etiam postquam idem corpus in varias universi partes dissipatum fuerit, ignarum illum futurum quonam migraverit unumquodque eorum, quae ad cujusque absolutionem et perfectionem adhibuerat»[1]. Ejusdemque est *facultatis* quae materiae formam indidit et initia seu elementa colligavit «et dissoluta coagmentare et jacentia excitare et mortua ad vitam revocare et corrupta ad statum corruptionis expertem convertere. Ejusdem etiam auctoris, ejusdemque potestatis ac sapientiae fuerit, et quod discerptum est ab omnis generis animalium multitudine... id inde separare ac propriis iterum membris et membrorum partibus adjungere...»[2]. Insigni autem et quasi expressa ac luculenta dicendi ratione eamdem doctrinam exponit, quum in Apologia contra crimen humanarum edendarum carnium sic christianos defendit: «Quis est igitur qui, cum resurrectionem credat, resurrecturis corporibus sepulcrum se praebeat? Neque enim eorumdem est certo tenere corpora resurrectura, et eadem, ut minime resurrectura, comedere; ac terram quidem proprios mortuos reddituram existimare, quos autem quis in se sepeliverit, eos a se non repetitum iri»[3].

Non ille quidem sermone quo multum valeat no-

1. N. 2; MG. 6, 980.
2. N. 3; l. c.
3. *Legat. pro christ.*, n. 36; l. c., 969.

tetque presse resurgendi modum, plano tamen satisque apto, sensum traditione acceptum aperit *S. Theophilus Antiochenus* (fl. circ. 180), adductis exemplis quae antiquitas frequentavit, quemadmodum est trita illa seminis similitudo[1]. Aliam audiamus: «... quemadmodum vas, si, postquam confectum fuerit, vitii aliquid habeat, refunditur et refingitur ut novum et integrum fiat: idem homini mors affert; quodam enim modo confringitur, ut sanus in resurrectione inveniatur...»[2]. Ut animadverti potest, simile istud multum habet vis et significationis; et re quidem vera placuit, quippe quod curriculo temporis tritum usitatumque fuit, seu ipsum proprie seu crebrius simile sumptum ex statua vel signo quod denuo conflatur.

Ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis (177-8) epistolam, in qua profecto elucet quid christiani, quid ethnici de resurrectione sentirent[3], initio commemoravimus. Nihil itaque est cur novum ex ea testimonium afferamus.

Alterum saeculum nemo tam apte tamque praeclare concluserit quam *S. Irenaeus* (scr. 180-198), cujus in operibus integra continetur et viget traditio christiana. Nam primum, S. Polycarpi discipulus quum esset atque ecclesiae occidentalis Lugdu-

1. *Ad Autolyc.* I, n. 13; MG. 6, 1044.

2. L. c., II, n. 26; col. 1093. Alterum comparationis membrum sic graece exprimitur: «Οὕτω γίνεται καὶ τῷ ἀνθρώπῳ διὰ θανάτου· δυνάμει γὰρ τέθραυσται, ἵνα ἐν τῇ ἀναστάσει ὑγιὴς εὑρεθῇ...» Unica particula aliquantulum obscura est δυνάμει. Placet satis interpretatio latina «quodammodo». Verbi vim interpretantes aliosque locos ejusdem auctoris perpendentes (l. c., nn. 13, 15, 16) verteramus nos «por decirlo así» vel «si así puede decirse» Cfr. *Est. Ecl.*, t. I, n. 1, p. 24.

3. L. c.

nensis longo tempore Episcopus, cum principe Ecclesia Romana tum scriptis tum itineribus etiam susceptis communicasset, recte in eo dixeris tam orientis quam occidentis Ecclesiam loqui. Praeterea singulari modo universa traditionis flumina quasi in eum influere videntur: nimirum, non synoptica modo, sed Sancti etiam Joannis evangelium, S. Paulus mirabili perfectione, libri Scripturae quos alii scriptores soliti erant fere omittere, veteres presbyteri, apologetae quoque, in iisque princeps S. Justinus ad quem studiose adiisse S. Irenaeum ex adductis saepe auctoritatibus plane constat. Ergo de S. Irenaeo eadem notari enucleariique possunt atque de S. Justino. Etenim Sanctus etiam Irenaeus, corpora humo tecta ac dissoluta ostendens, eadem decernit esse omnino resurrectura[1]. Clarior fortasse est hic locus quo sibi demonstrare proposuit hominem, quippe qui a Deo potuerit ex nihilo creari, ab eodem posse etiam iterum suscitari: «Et quidem multo difficilius et incredibilius est, ex non existentibus ossibus et nervis... et reliqua dispositione quae est secundum hominem, facere ad hoc ut sit, et quidem animalem et rationalem facere hominem, quam quod factum est et deinde resolutum est in terram... rursus redintegrare, licet in illa cesserit unde et initio nondum factus, factus est homo»[2].

1. *Contr. haer.*, V. cp. II, n. 3; MG. 7, 1127. — Cfr. ibid., cp. VII, nn. 1, 2; col. 1140, 1141: et cp. XV, n. 1; col. 1163-1164.
2. L. c., cp. III, n. 2; col. 1129, 1130.

Saeculis III et IV

Abeuntibus e saeculo II et occidentis ecclesias, quae saeculo III praecipue florent, contuentibus illico nobis in principe romanorum Ecclesia *S. Hippolytus* occurrit, illustris S. Irenaei discipulus, etsi non sine sententiarum delectu. Eminet ille quidem inter antiquissimos Romanae Ecclesiae sapientes litteratosque viros, sed ejus imago mysterio adhuc et tenebris obducta fere manet. Quemadmodum in aliis, resonat etiam in hac quaestione magistro discipulus, adeo ut ejus potiora testimonia non solum Irenaei esse videantur, sed etiam in quibusdam codicibus Irenaeo attributa cernantur. Pulchra simul atque solida expressaque oratione docet S. Hippolytus dissipari quidem corpora, non tamen perire, quum eorum reliquias terra concipiat atque servet: «Nos credimus corpus resurrecturum; si enim corrumpitur, non omnino perditur; terra enim, recipiens ejus reliquias, eas servat; et efflorescunt, instar seminis, in terrae pinguedine immersae; et seminatum quidem granum nudum seminatur; ad imperium vero Dei creatoris florens, indutum et gloriosum exsurgit, non antequam moriens dissolvatur et terrae commisceatur. Ita ut non vane credamus resurrectionem corporum: nam etiamsi ad tempus solvatur corpus, propter transgressionem originaliter perpetratam, tanquam in conflatorio terrae mandatur, rursum aliquando reformandum...»[1].

1. TU, 20, Heft 2, pg. 140; MG. 10, 800.

Ad Africam convertamur. Traditam de resurrectione doctrinam mirabili dicendi vi nec minore religione exprimit vir stylo potentissimus, *Quintus Sept. Florens Tertullianus* († c. 217), cujus tota oratio quasi asperum animi vigorem ardoremque demonstrat. Singulas ejus sententias pugiones dixeris quibus foditur adversarius. Celebratae illae quidem sunt apud omnes; verum aliquid saltem excerpamus. Illico autem occurrit celeberrimum initium capitis 63, quo integrum «De carnis resurrectione» opus absolvitur: «Resurget igitur caro, et quidem omnis, et quidem ipsa, et quidem integra. In deposito est ubicumque apud Deum per fidelissimum sequestrem Dei et hominum Jesum Christum... Non sola anima seponitur; habet et caro secessus suos interim, in aquis, in ignibus, in alitibus, in bestiis. Quum in haec dissolvi videtur, velut in vasa transfunditur; si etiam ipsa vasa defecerint, cum de illis quoque effluxerit in suam matricem terram quasi per ambages, resorbetur, ut rursus ex illa repraesentetur Adam auditurus a Domino «Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est», vere tunc compos mali quod evasit, et boni quod invasit...»[1].

Adjungamus alium ex Africa nobilem scriptorem, qui, quum antea inter apologetas saeculi II adnumerari soleret, nunc frequentius primo medio saeculo III adscribitur, scilicet *Minutium Felicem* (c. 235). Pulchre, ut assolet, tradit in Octavio Minutius resurrectionem fieri posse, de identitate tamen materiae

1. CV, 47, ed. *Kroymann*, pgs. 123-124. — Cfr. *Adv. Marc.*, l. c., V. cps. 9, 10, pg. 601 sqs.; *Apologet.*, cp. 48.

jacto constanter fundamento. Ita verbi gratia quodam loco disserit: «Tu perire et Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne, sive arescit in pulverem sive in humorem solvitur vel in cinerem comprimitur vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodi reservatur... Vide adeo, quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit et nascitur, astra labuntur et redeunt, flores occidunt et revivescunt, post senium arbusta frondescunt, semina nonnisi corrupta revirescunt: ita corpus in sepulcro, ut arbores in hiberno; occultant virorem ariditate mentita. Quid festinas, ut cruda adhuc hieme revivescat et redeat? exspectandum nobis etiam corporis ver est» [1]. Hac postrema imagine nihil fere pulchrius laetiusque dici potest.

At ecce hoc saeculo III gravissimum quiddam accidit, magnae significationis summique momenti. Vir praestantissimus ingenio atque doctrina, magnus et praepotens in ipsis variis deviisque opinionibus quibus inficitur, resurrectionis dogma, πολὺν ὄντα καὶ δυσερμήνευτον καὶ δεόμενον σοφοῦ, εἴπερ τι ἄλλο τῶν δογμάτων [2], defendendum suscipit excultiore via et modo qui altior praeterea sit magisque Deo dignus [3]; quo tum traditionis depositum sancte servetur [4], tum illud ca-

1. CV. 2, ed. *Halm*, pg. 49.

2. CB, K. Κέλσου, VII, cp. 32; ed. *Koetschau* «Origenes» v. II, pg. 182, n. 20. Similiter dicta videre licet aliis locis v. g. *In Joan.*, X, cp. 36; l. c. ed. *Preuschen*, v. IV, pg. 210, n. 233.

3. L. c. K. Κέλ.

4. L. c. K. Κέλ. cp. 22. — *De principiis*, II, cp. 10, n. 1; CB, ed. *Koetschau* «Origenes» v. V, pg. 172-173. — *In Psalm.* I, v. 5; CB, «Metho-

veatur ut «in altissimas quasdam nugas atque ineptias» ne praecipitemus, neve «in sensuum inanissimorum ineptias..., eorum scilicet quae neque fieri possunt et divina majestate sunt indigna»[1]. Qui ita loquitur *Origenes* est, moderatus sane quam qui maxime in quaestionibus disceptandis dijudicandisque, ita ut merito dixeris hac de re in ipsius mente penitus insedisse sententiam quae se aperit clarissime pluribus librorum locis qui adhuc restant. Profecto minime nunc egemus neque illud habemus propositum ut de integra resurrectionis doctrina ratas in singulis partibus certasque Origenis sententias comprehendamus easdemque plene et absolute explicatas proferamus[2]. Satis nobis fuerit notare in Origenis operibus tria haec pronuntiata clare exprimi et eminere, quibus ceteroqui praecipua continentur hujus auctoris decreta de identitate corporis mortalis ac resurgentis quod est caput totius controversiae:

1.um Una atque eadem est cujuscumque corporis materia, quae, tametsi ipsa per se caret omni qualitate et figura (ἄποιος καὶ ἀσχημάτιστος), varias tamen et multiformes qualitates accipere potest, omnibusque modis tota penitus commutari ita ut ex ea expriman-

dius» *De resurrectione*, I, cp. 22, ed. *Bonwetsch*, pg, 244. Praesertim si de hoc Psalmo I agitur, ad *Bonwetsch* lectorem revocamus. Graecum, ut legitur apud *Migne* in operibus S. Methodii, plus etiam in operibus S. Epiphanii, non est identidem satis accuratum.

1. «Methodius», l. c., cp. 20, pg. 243; cp. 22, pg. 244.

2. Illud tamen animadverterim ea quae origeniana perhibentur testimonia e S. Hieronymi epistola seu libro ad Pammachium sumpta, non satis esse ad Origenem arguendum. Neque enim satis constat quatenus Origenis verba et quatenus huic infensi, maxime tunc, semperque eloquentis Hieronymi commentarii se porrigant. Idem fere dicendum esse judicarim de interpretationibus Rufini, aliis tamen de causis.

tur atque efficiantur corpora omnia innumerabilia quae mundum universum constituunt et exornant[1].

2.um At in corpore vivente singulare quiddam est attentione dignum, videlicet perpetua materiae accessio atque decessio, conjuncta cum ejusdem *individuationis* (ita enim philosophi) perpetuitate atque constantia. Corpus omne vivum, quod alitur cibo coquendo et conficiendo consumiturque detractione materiae, «nunquam unum idemque remanet. Unde non male fluvius quidam corpus esse dicitur; quoniam si accurate consideremus, ne biduo quidem prior materia in corporibus nostris eadem constansque perseverat: cum interim Paulus exempli gratia, vel Petrus idem nihilominus persistat, non modo si ejus animam spectes» «sed ob id praeterea, quod tametsi velut in perpetua fluxione sit natura corporis, eadem forma permaneat quae corporis nostri quasi nota quaedam est propria. Non aliter atque eaedem figurae manent, quae Petri Paulique corporum qualitatem confirmando exhibent; per quam etiam qualitatem accidit ut et cicatrices jam tum a pueris in corporibus permaneant, aliaque nonnulla quae singulorum propria sunt»[2].

3.um Horum omnium ad id de quo tractamus, evidens est accommodatio, quum idcirco ab Origene depromantur ut resurrectionis dogma exponatur, propugnetur. Ergo neque corporis resurgentis materia

1. CB, K. Κεφ. III, cps. 41-42; l. c., v. I, pgs. 237-238: *ibid.*, IV, cps. 56-57; pgs. 328-330: *ibid.*, VI, cp. 77; v. II, pg. 146. — *De principiis*, II, cp. 2, n. 2; l. c., pgs. 112-113: *ibid.*, III, cp. 6, n. 6; l. c., pgs. 288-289: *ibid.*, IV, cp. 6-8 (quae apud *Migne* respondent cps. 33-35); l. c., pgs. 356-361.

2. *In Psalm. I*, v. 5; l. c., pgs. 244-245.

differt ipsa a materia corporis mortalis[1], quamvis non sit eadem omnino quam animus antea formaverat[2]. Eodem modo, non solum animus sed etiam forma corporea (εἶδος σωματικόν, τὸ χαρακτηρίζον τὸ σῶμα) est eadem; illud enim quod carnem in hac vita distinguebat, corpus etiam resurgens distinguet[3]. Tantum maxima erit qualitatum futura commutatio, quae non jam terrenae et crassae erunt sed aethereae, pellucidae et quasi divinae[4].

Magni doctoris alexandrini altae contemplationes ejusmodi erant ut doctissimum quemque vehementer allicerent; iis quaestio fere tota praecidi videbatur. Peracuto sane modo et quem viro sapiente dignissimum facile dixeris, omnium prorsus captionum, omniumque e profanis gentibus facetiarum ac risus fundamenta subducebantur; quin et ipsa resurgentis corporis identitas in tuto collocata omnino videbatur. Quid vero erat quod amplius requireretur? Atqui, quamvis valuerit Origenes, et quidem etiam in praecipuis quibusdam summique momenti quaestionibus, splendore cogitationum ad alios obruendos[5], nihilo

1. L. c. K. Κέλ. III, cps. 41-42. Hoc loco solum agit Origenes de Christi corpore suscitato; sed perspicuum est eamdem doctrinam ad alia valere *a fortiori*. *Ibid.*, IV, cp. 57; pgs. 329-330. — *De principiis*, II, cp. 2, n. 2 et cp. 3, n. 2; l. c., pgs. 112-113, 115; *ibid.*, III, cp. 6, nn. 4-6; pgs. 285-289: etc.

2. *In Psalm. I*, v. 5; l. c., cps. 22-24, pgs. 245-246, 249.

3. *In Psalm. I*, v. 5; l. c., 23, pg. 247.

4. Ad eorum, qui jam citati sunt, maximam partem locorum (his omissis, qui solum latine exstant sunt vero frequentissimi), addi possunt: *In Mth.* XVII, n. 30; MG. 13, 1568-1569: *ibid.* XII, n. 42; col. 1080-1081. Ut hic postremus locus intelligatur ac praeterea confirmationis causa, videatur K. Κέλ. VII, cp. 32-33; l. c. pgs. 182-184. — *In Psalm. I*, v. 5; l. c. cps. 22-24, pgs. 244-250. — *In Joan.*, X, cp. 36; l. c., pgs. 210-211.

5. Exempli causa in memoriam revocetur in ipsa gravissima apo-

tamen minus in hac causa de resurrectione, quae semper ab ipso temporis apostolici principatu et vehementissime impugnata et studiosissime defensa est, numquam ejus tum inserendae opinationis assiduus et ardens conatus tum incredibilis auctoritas, non solum totius vitae curriculo permanens sed etiam temporibus consequentibus, satis esse potuerunt ut aliquem tantus vir ad se traheret et adstipulatorem haberet. Nemo unquam Origenis explicationes approbare est ausus, ne in eo quidem quod necesse esse negabant materiam eamdem iterum cum animo esse copulandam. Hanc expolire ac roborare sententiam nobile erat et expetendum propositum; minimeque fuisset difficile negotium reliquas Origenis fictas et vanas opiniones, hac de re satis paucas, procul amandare et illud solum de eadem materia non necessario iterum jungenda proponere atque in bono lumine collocare, quo dogmatis defensio multo clarior multoque facilior redderetur. Verum nihil hujus generis ac prorsus nihil. Contra, eamdem materiam non esse necessario jungendam id in primis vehementissime adversarii negant, qui ad saeculum IV pertinere solent; in hac praesertim re acerrime Origenem refellunt, etsi aliquando contrariarum momenta rationum simpliciter confitentur[1].

catastaseos quaestione Origeni adhaesisse quum alios minoris auctoritatis tum ipsum S. Gregorium Nyssenum.

1. Legantur exempli causa quae S. Methodius dicit quum Memianium rogat ut Origenis argumentis de perpetua materiae fluxione respondeat: «... ἄπορα γὰρ καὶ οὐ πάνυ ῥᾴδια πρὸς καθαίρεσιν τὰ ἐξῆς. διὸ καὶ ὀκνηρότερον αὐτῶν ἅπτομαι, μακρὰν καὶ γαλεπὴν αὐτῶν ὁρῶν τὴν ἀπόδειξιν ἐσομένην... etc.»: «Methodius» *De resurrectione*, II, cp. 8; l. c. pg. 345, nn. 9, 10. Describuntur haec a S. Epiphanio in *Panario*, II, t. 1, haer. 64, n. 62; MG. 41, 1176-1177.

Convenit generatim inter eos ab Origene non servari *corporis resurgentis identitatem,* quod non est accurate idem atque non servari hominis identitatem. Breviter id enuntiat magnus ille arianae haereseos adversarius *S. Eustathius Antiochenus* (c. 330-337). Qui demonstrare clare *S. Methodium* (c. 311) ait «quod haeresim affectantibus ansam praebuerit male sentiendi, in specie non in ipso corpore resurrectionem fieri determinans», scilicet *in eadem forma, non in eodem corpore*[1]. Adspectu primo nonnihil est admirationis in hac tam rata et firma sententia, tanto ardore animique vi saepenumero affirmata a reliquis etiam Origenis adversariis. Quibus tam est exploratum ab hoc non teneri corporis resurgentis identitatem ut, quasi Origenes corpus resurgens *aliud* esse profiteretur, ita loqui saepe videantur. Tamen nihilominus, Origenes, nisi toti fallimur, nullis ipsius libris, qui adhuc quidem exstent, ejusmodi vocem usquam emisit. Contra, eorum qui in latinum conversi remanent plures sunt profecto loci quibus identitas corporis resurgentis

1. «... τοῖς αἱρεστιώταις ἔδωκε πάροδον ἀβούλως, ἐπὶ εἴδους ἀλλ' οὐκ ἐπὶ σώματος αὐτοῦ τὴν ἀνάστασιν ὁρισάμενος.» *De Engastrimytho,* XXII; TU, 2. Heft 4, ed. *A. Jahn,* pg. 61; MG. 18, 60. Αὐτοῦ nostro judicio affi- cit etiam particulam εἴδους, etiamsi grammaticam solum consideramus; utique si ad rem ipsam attendimus. — Cfr. ipsum S. Methodium variis in locis, v. gr.: l. c., II, cp. 11, pg. 354, nn. 5-6; III (passim), ut cp. 3, pg. 391, n. 4. Animadvertatur argumentatio capitis 6, pg. 397 sqs., n. 7 sqs., valentior magisque accurata quam superiores. — Praeterea S. Epiphanium, l. c., nn. 67-68; col. 1185, 1188-1189, ubi vehementer affirmat corpus nostrum, ad exemplum corporis Xti., integrum atque idem esse resurrecturum. Similiter in «Ancorato», 90, 91; MG. 43, 181, 184. — Tandem «Adamantium» (295-305) V, cps. 16, 24; CB., ed. *Van de Sande Bakhuyzen,* pgs. 206, 226.

apertissime constituitur et stabilitur[1]. Nec sane ii omnes dici queunt adjunctio quaedam aut interpretis ex proposito explanatio, nam contexta oratione postulari videntur. Legantur praecipue ii quos «De resurrectione» S. Pamphilus collegit[2]. Ex iis vero, qui ex graeco supersunt, notatione dignus est locus e libro V contra Celsum. Dixerat Celsus stultum esse cogitare fore ut mundus universus conflagret aliquando et omnia ignis flamma praeter christianos consumantur, non eos solum qui tunc vivi supersint, sed etiam mortuos quoscumque, et ita quidem ut omnes iisdem carnibus e terra exeant; quae est, inquit, res turpissima et absurda. Respondet Origenes non illud quidem negans mortuos iisdem carnibus esse resurrecturos, quae tamen esset praecidens responsio omninoque adducenda si eam Origenes veram esse existimaret, sed id tantum asserens carnes in statum meliorem commutatum iri: «Ergo neque nos neque divinae litterae aiunt — eos, qui jam dudum obierint mortem, e terra egressos eisdem carnibus — nulla in melius facta mutatione — victuros esse —. Haec mera est Celsi calumnia»[3]. Verum id in primis diligentissime animadvertatur in ipsa Psalmi I explanatione, quod est maximum ab adversariis contra Origenem adhibitum tormentum, nequaquam hunc affirmare corpus resurgens futurum esse ἕτερον sed ἑτεροῖον:

1. Cfr. v. gr. *De principiis,* II, cp. 10, nn. 1, 8; l. c., pgs. 173-174, 182: III, cp. 6, n. 6; l. c., pg. 288. — *In ep. ad Rom.* VI, n. 1; MG. 14, 1057.
2. MG. 11, 91-94.
3. CB, l. c., cp. 18, pg. 19.

rem profecto longissime diversam[1]. Nulli itaque miramur quod R. P. Prat, quamquam cautus semper et moderatus, disputationem tamen de mente Origenis in hac quaestione concludens, plane fidenterque

1. Conferatur hic alius locus e VI K. Κέλ., cp. 29, l. c. pg. 99, «οὐ γὰρ τὸ σπειρόμενον... σῶμα ψυχικόν φαμεν ἀνίστασθαι, ὁποῖον ἐσπάρη.»

Unius venit nobis loci in mentem, in quo specie prima, licet implicito quodam modo, identitatem corporis resurgentis Origenes negare videatur quippe qui ad hujusmodi identitatem, etiam identitatem materiae videtur exposcere. Locus reperitur in S. Joannis Evangelii Commentariis cp. 1, v. 21: «Et interrogaverunt eum (S. Joan. B.): Quid ergo? Elías es tu?». Exponit ibi copiose de hac quaestione «an Eliae animus ut S. Joannem constitueret in aliud corpus migraverit», quid pro illa quid contra dici possit; ad extremum brevissime adumbrat indicem quemdam quaestiones de animo continentem quae, ait, alio loco disceptari accuratius uberiusque possunt. In quibus has invenire licet: «... εἰ ἐνδέχεται αὐτὴν (ψυχὴν) εἰσκριθῆναι δεύτερον ἐν σώματι ἢ μή... καὶ τῷ αὐτῷ σώματι ἢ ἑτέρῳ, καὶ εἰ τῷ αὐτῷ, πότερον καθ' ὑποκείμενον μένοντι τῷ αὐτῷ κατὰ δὲ ποιότητα μεταβαλλομένῳ, ἢ καὶ καθ'ὑποκείμενον καὶ ποιότητα ἐσομένῳ τῷ αὐτῷ...» *In Joan.*, VI, cp. 14; l. c., pgs. 123-124. Vides ad corporis identitatem primo adspectu identitatem materiae requiri; etenim in utroque membro, quo illud τὸ αὐτὸ σῶμα dividitur, includitur τὸ αὐτὸ ὑποκείμενον. Tamen, si rem bene perpendimus, hic locus nihil contra Origenem probat. Primo enim dixerit fortasse quispiam, nec sine probabili aliqua ratione, nullam admirationem facere quod, in brevi quadam adumbratione eoque loco ubi quaestio studiose non agitatur, membrum illud omittitur quod expositione eget ne perperam intelligatur. Sed nihil est quare in hac conjectura haereamus. Alia est explicatio nostra. Scilicet in loco quem supra citavimus, non agitur de identitate numerica et (liceat ita loqui) **individuali** sed de identitate SPECIFICA. Argumenta: 1. Agitur ibi de *metensomatosi* vel, ut nunc crebrius dici solet, *metempsychosi*. Jam vero *metensomatosis* est «animae transitus ab uno corpore in aliud sive *individualiter sive specifice diversum*» (v. gr. in aliud corpus humanum vel in corpora brutorum animantium). Quare, quum, hoc posito, sermo est de corpore τῷ αὐτῷ vel ἑτέρῳ, omnino intelligi potest, quin imo id videtur maxime consentaneum, *identitas aut diversitas specifica*. — 2. Nullius adversarii Origenis recordamur qui adhibuerit adversus Origenem presseritque hunc locum. — 3. Mirum esset Origenem ibi agere de identitate *individuali* nec ullam tamen mentionem facere τοῦ εἴδους quo ipse tantopere utitur ad hujusmodi identitatem explicandam, quum paulo antea εἶδος et χαρακτὴρ Joannis, Eliae et Domini in disputationem incidissent.

asserat: «il (Origenes) défend toujours énergiquement, avec la résurrection des morts, l'identité du corps ressuscité» [1]. Quae quum ita sint, quidnam est causae cur Origenis adversarii ab isto clare aperteque resurgentis corporis identitatem esse sublatam, tamquam exploratum quiddam, audeant in medium sine dubitatione producere? Ad amissa opera revocare, non sapienti viro dignum sed ridiculum omnino est, quum ipsis inimicorum inculcata scriptis, monumenta acrius impugnata posteris conservata esse videamus. Ponere in omnibus adversariis aut causae ignorationem aut turbidos animi concitatosque motus impietatem continet et falsitatem. Quapropter illud concludi videtur Origenis explicationibus, de istorum Patrum sententia, *rectam germanamque* corporis resurgentis ac mortalis identitatem perspicue tolli; ob eamque causam nihil admirationis facit quod in Origene, ut illis est mos quum in doctorem alexandrinum invehuntur, utrumque acerrime vituperent tum id quod plane et clara voce Origenes profitetur tum crebrius fortasse id quod sentiunt Origeni esse dicendum ex omnium perpetuitate dictorum atque constantia. Illud quidem certe singulare ac plenum significationis relinquitur quod tam plana et aperta Origenis pronuntiata, ut ea sunt quae supra monumentis testata consignataque produximus, quibus ille animum induxerat germanam de corporis resurgentis identitate sententiam excelso quodam modo explana-

1. *Origène, le théologien et l'exégète*, l. I, ch. V, 1, pg. 94; Paris Bloud et C.ie, 1907.

re et tueri, nullam sibi fecerunt audientiam, quum tot nihilominus scriptores tamque frequenter doctoris alexandrini libros adierint ut incredibili ejus scientia rerumque omnium copia divites fierent.

Omnes etiam Origenis adversarii una mente consentiunt illius doctrinae, quod ad praesentem causam attinet, censoriae severitatis notam esse inurendam, neque eam philosophicam solum rationisque finibus conclusam[1] sed etiam, ut sic dicamus, theologicam.

Vehemens jam satis est in hoc genere et acre *S. Eustathii* judicium, quod ante commemoravimus. Id porro in speciem arguere solum videtur eos qui negent idem corpus resurrecturum. Verum si res attente considerabitur, quatenus eam exposuimus, constabit profecto severitatis notam in *explicationem* ipsam cadere quam Origenes de identitate resurgentis corporis tradit.

S. Methodius in Origenem invehitur ejusque rationes ornate copioseque dissolvit tum philosophice tum etiam quasi physiologice[2]. Neutiquam tamen negligit, ut causam corroboret, ad Scripturam ipsam satis crebro confugere; idemque testimonia quae Origenes pro se usurpat aut ita interpretatur ut nihil obstent, peracute in eum vertit atque contorquet[3].

Verum tamen qui id temporis multo ardentius multoque constantius omni via et ratione ac proinde

1. Cfr. v. gr. S. Methodium, l. c., II, cp. 11, pg. 354; I. cps. 27-28, pgs. 255-257. — S. Epiphanii *Panarium*, l. c., nn. 10, 11, 67-68, 73; col, 1085, 1088, 1185, 1188-1189, 1197.
2. Exempli causa l. c, II, cp. 9 sqs., pg. 345 sqs.
3. L. c. III, cp. 9 sqs., pg. 401 sqs.

etiam theologice Origenem lacessivit, est sine dubitatione *S. Epiphanius*. Ad theologiae notam quod attinet, illius judicium recte his verbis poterit comprehendi quibus ad Origenis refutationem in causa resurrectionis aggreditur. Videlicet ait sophisticam sententiam ab Origene esse confictam, in qua nihil «ex christiana fide petitum, sed ratiocinationibus (syllogismis) collectum, nihil non ad eos, quibus persuadere potuerit, evertendos afferens ex iis ipsis quae naturaliter nobis eveniunt...»[1]. Agit ibi S. Epiphanius de identitate corporis resurgentis; quinam vero sint Origenis syllogismi, aperte declarant alexandrini testimonia quae S. Epiphanius affert neque alia sunt nisi notissima illa ex Psalmo I deprompta; idque satis etiam indicat quum dicit Origenem arguere ἐκ τῶν κατὰ φύσιν ἡμῖν συμβαινόντων[2]. Idem Sanctus quos Origenes vocat οἱ ἁπλούστεροι τῶν πεπιστευκότων, eos appellat «veritatis filios»[3], cujus appellationis vis atque momentum, si comparatio haec de industria a S. Epiphanio adhibita considerabitur, ambigua esse non poterunt; idem Sanctus Origenis rationes contra iteratam ejusdem materiae cum animo copulationem explodit tamquam πρὸς τὴν ἀλήθειαν λεξείδια[4] fateturque a se illas exponi εἰς παράστασιν... τῆς περὶ ἀναστάσεως ἀπιστίας[5].

1. «... σοφιστικήν τινα ὑπόνοιαν... οὔ τι πιστικόν, ἀλλὰ συλλογιστικόν, πᾶν ὁτιοῦν εἰς καταστροφὴν τῶν αὐτῷ πεισθέντων.» *Panarium*, l. c., n. 11; col. 1088. Cfr. *Ancoratum*, n. 86; MG. 43, 176-177.
2. *Panarium*, l. c.
3. Ibid., n. 10, col. 1085.
4. Ibid., n. 11, col. 1085.
5. Ibid. In iisdem numeris videre licet similiter dicta. Animadverta-

Ceterum Origenis adversarii, in causa dijudicanda consentientes, iidem nonnihil digrediuntur in rationibus afferendis, modoque et via designanda quibus evertantur fundamenta contraria. Nam quum S. Methodius et is, qui auctor est dialogi «Adamantius», illud contendant ut negent perpetuo et omni ex parte renovari materiam, statuantque illius partem, ex qua corpus primo constitit, ad totum vitae tempus permanere[1], contra S. Epiphanius Origeni dare videtur materiam, eo quo iste vult modo, fluere atque renovari, nec in ejusmodi fluxione neganda vult inhaerere ut Origenis opinationes refellat[2].

Multo plures quam ii, qui consulto Origenem accusant, Patres sunt qui resurrectionis argumentum sive strictim perstringunt sive copiose dilatant, quaecumque tamen Origenes commentus est, ignorare prorsus videntur; quo quidem modo se gerunt vel illi qui Origenem amant ad ejusque libros tamquam ad fontes veniunt ut varia copiosaque alexandrini doctoris scientia compleantur.

Scriptorum multitudine praetermissa, si Occidentem respicimus, licet nominare duo praeclarissima lumina, universaeque Ecclesiae Doctores, *S. Hilarium* († 367) et *S. Ambrosium* († 397).

S. Hilarii documenta, brevibus terminata senten-

tur finis n. 73, col. 1198, ubi resurrectio Domini N. appellatur [illegible] ad expellendum Origenis venenum.

1. *S. Methodius*, l. c., II, cp. 9 sqs., pg. 345 sqs. — «Adamantius» l. c. cp. 16-17, pg. 204, 210.

2. «Τὰ ἀφ' ἡμῶν ῥυέντα, εἰ καὶ οὕτως ὑπάρχει κατὰ τὸν σοῦ λόγον, οὐ μορῶς παρ' ἡμῶν ζητηθήσεται...» *Panarium*, l. c., 57, col. 1185. Notetur forma concessiva in qua indicativus adhibetur.

tiis, non ex libris eruemus quos ante exilium conscripsit, sed ex iis quos edidit post reditum, graeco et Origene jam plane imbutus, Origenem proinde in suis commentariis totus redolens[1]. Et in expositione quidem II Psalmi ita de corporibus *mortuis* loquitur: «... confracta (corpora) reparabit, non ex alia aliqua sed ex veteri atque ipsa originis suae materie speciem illis complaciti sibi decoris impertiens, ut corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio, non interitu naturam perimat, sed qualitatis conditione demutet... Fit ergo demutatio, sed non affertur abolitio. Et cum id quod fuit, in id quod non fuit surgit, non amisit originem sed profecit ad honorem»[2]. Quo adversus Originem loco materiam omnino renovari negare videtur S. Hilarius; nam cadaveris materiam assumi satis perspicuum ex ipso est, et tamen idem asserit corpora «ex ipsa originis suae materie» iterum constitui; quae verba ad materiam, ex qua primo compacta sunt corpora, referri videntur. Alium locum adjungamus, in quo de corpore Domini Nostri incidit sermo, sed ratio sequitur ad omnia se fundens: «... Ipse huic mortuo et intra sepulcrum relicto corpori divinae naturae suae tribuit consortium. Neque enim resurrecturis omnibus ab exteriore materia corpus adquiritur, neque peregrinae originis externarumque causarum natura redhibetur: sed id ipsum in profectum aeternae cla-

1. Quaedam Hieronymi testimonia collecta reperiuntur apud *Migne*, MG. 9, 203. Plura dat v. gr. *Bardenhewer, Geschichte der altkirchl. Liter.*, III. zweit. Teil, Kap. 1, ed. 1912, pg. 374, nota 6.
2. *In Psalm. II*, n. 41: CV. 22, ed. *Zingerle*, pg. 68.

ritatis emerget, fietque in eo demutatione potius quam creatione, quod novum sit» [1].

S. Ambrosii in obitu fratris splendida oratione nihil fere est aptius, nihil etiam valentius ad nostram quaestionem. Ibi enim totius rei praecipua capita fuse copioseque pertractat Pontifex ille egregius, orthodoxiae flos et robur, parens Augustini atque magister, totus Romanus: Romanae Ecclesiae filius et defensor fortissimus, Romani Pontificis, quem parentem nominat[2], adjutor fidelissimus. Tribus, ait, colligitur resurrectionis fides «ratione, universitatis exemplo, testimonio rei gestae quia plurimi surrexerunt» [3]. Alterum locum praeclare illuminat pulchris imaginibus, et gravibus uberibusque sententiis. Quaedam afferemus, quae ad id tantum de quo agimus, pertinebunt. «Sed miraris quemadmodum putrefacta solidentur, dispersa coeant, absumpta reparentur; non miraris quemadmodum semina vapore et compressu terrae soluta viridescant... Quid igitur miraris si homines quos acceperit, terra restituat, cum seminum corpora quaecumque susceperit, vivificet, erigat, vestiat, muniat, atque defendat? Desine ergo dubitare quod depositum generis humani terrae fides reddat, quae commendata sibi semina usurario quodam fenore multiplicata restituat. ...Sequitur illud quod gentiles plerumque perturbat, quomodo fieri possit ut quos mare absorbuerit, ferae dilaceraverint, bestiae devoraverint, terra restituat. Quo ita demum veniatur necesse est, ut non

1. *In Psalm. LV*, n. 12; l. c., pg. 167.
2. *Ep.* 85; ML. 16, 1339.
3. *L. 2 de excessu fratris sui Satyri*, n. 52; l. c., col. 1386.

de fide resurrectionis sed de parte dubitetur. Esto enim ut laceratorum corpora non resurgant, resurgunt ceteri; nec resurrectio destruitur, si conditio excipitur. Miror tamen cur vel de his dubitandum putent, quasi non omnia quae ex terris sunt, in terram redeant et in terram resolvantur (*Eccles.* III, 20). Mare quoque ipsum quaecumque corpora humana demerserit, vicinis exspuit unda plerumque littoribus. Quod ni ita esset, difficile, credo, Deo foret dispersa connectere, dissipata sociare, cui mundus obtemperat, muta obsequuntur elementa, servit natura: quasi non majoris miraculi sit limum animare quam jungere?»[1]. Longus est locus, etiamsi plurima omisimus; sed erat aliquid edendum ut tantus tamque orthodoxus vir qui Origenem diligentissime evolverat, «cujus pene omnes libri hujus sermonibus pleni sunt» ut Hieronymus l. I, n. 2, adversus Rufinum scribit, quid de resurrectione sentiret, dataque opera traderet, quibus solis armis adversus impugnatores uteretur, perspectum penitus haberemus.

His adjungamus scriptorem origine afrum, nobilem satis et politum *S. Zenonem Episcopum Veronensem* (c. 371-380). Patribus usitata similia eleganter exornat, quemadmodum illa sunt de oriente et occidente sole, de luna, de grano terrae condito, de ave phoenice in quo illuminando haec disserit: «Phoenix, avis illa pretiosa, resurrectionis evidenter nos edocet jura... Sepulcrum nidus est illi, favillae nutrices, cinis propagandi corporis semen, mors natalitius

1. L. c., nn. 55-56, 58; cols. 1387-1389.

dies. Denique post momentum festo exultat in tumulo, non umbra sed veritas, non imago sed phoenix, non alia sed quamvis melior alia, tamen prior ipsa»[1]. Idem paulo antea his verbis: «Christianus ergo in toto dubitare non debet in statum pristinum mortuos excitari, talesque legitima die ante conspectum Dei ex illo *naturae secreto* produci quales fuerint pro sua quique qualitate suscepti»[2]. Hoc autem *naturae secretum* est ille *naturae thesaurus* de quo idem auctor pulchre ait «... in thesauro naturae depositum incolume requiescere, quod in hoc mundo ad tempus perspicitur interire»[3]. Etenim «dubium non est in corporibus nostris, dum mortis lege seminantur, non substantiam, non imaginem, sed illud tantum quod inutile est discuti, quod teritur demutari...»[4].

Ex Oriente princeps erit quem nominemus magnus ille catechista idemque Doctor Ecclesiae *S. Cyrillus Hierosolymitanus* († 386), cujus vox, praeclarissimis catechesibus reddita, nihil sonat nisi incorruptum atque purissimum. Contra graecos, samaritanos, haereticos orthodoxam fidem propugnat. Audiamus quomodo. Et primum quidem rationes contrarias acerrime proponit: «Cecidit homo qui mortuus est, putruitque, ac universim in vermes resolutus est; ipsi quoque vermes interiere: tanta corpus excepit putrefactio interitusque; quomodo igitur resurgit? Naufragium passos devoraverunt pisces, ipsique ab aliis devora-

1. *Tractatus S. Zenonis*, L. I, tract. 16, n. 9; ML. 11, 381.
2. L. c., n. 7; col. 379.
3. L. c., n. 4; col. 377.
4. L. c., n. 14; col. 385.

ti sunt... Vultures et corvi, comesis humi projectorum cadaverum carnibus, in universum orbem avolaverunt: unde colligetur id corpus? fieri enim potest ut avium, quae illud adederunt, alia in India mortua sit, alia in Perside... Aliorum qui flammis exusti sunt, ipsum quoque cinerem dissipavit imber vel ventus: undenam id corpus coagmentabitur?» [1]. Quam facile ex his laqueis et captionibus sapientia Origenis eum liberaret! Verum ecce simplex et aperta responsio cum Origene nihil habens commune: «Tibi sane homuncioni exiguo et imbecilli, procul est... Hispania a Perside. Deo autem, qui terram omnem in pugillo continet, omnia sunt proxima. Ne igitur comparatum ad tuam imbecillitatem Deum arguas impotentiae, sed ad illius potentiam potius attende... Supponas velim diversa seminum grana commista esse... diversaque semina illa uno in tui pugillo contineri. Estne tibi, qui homo es, ardua vel contra facilis res tuo pugillo contenta discriminare, et seminum unumquodque secundum propriam naturam collectum, generi suo reddere? Ergone tu res in manu tua contentas discernere valeas; Deus vero res in sua ipsius manu comprehensas discernere et restituere non queat? Id quod dico considera, numne id negare impium sit» [2]. Atque in hunc modum cetera consequuntur.

Ecclesia Antiochena et Constantinopolitana resurrectionem nobis explicat per oratorum principem christianorum eumdemque etiam Ecclesiae Doctorem,

1. *Catechesis XVIII, De carnis resurrect.* n. 2; MG. 33, 1020.
2. L. c. n. 3; col. 1020-1021.

imo unum e quatuor orientalium ecclesiarum praecipuis Doctoribus, *S. Joannem Chrysostomum* († 407). Pluribus locis de hoc argumento copiose ornateque dicit; quibus ad unum omnibus origeniani commenti nec particulam reperies, ubique vero eas responsiones, imagines, similia, explicationes quae a primis temporibus usitatae ac tritae sunt. Unum saltem afferamus exemplum. «Et quomodo, inquiunt, quando corpus terrae commixtum est et factum est terra, et haec rursum alio translata fuerit, resurget tamen illud? Hoc tibi dubium videtur esse sed non insomni illi oculo: ipsi enim manifesta omnia sunt. Et tu quidem non vides divisionem quae est in confusione (ἐν τῇ συγχύσει), ille vero omnia novit» [1]. Commemorare placet hoc loco sententiam illam seu potius picturam quae singulis annis sacerdotum animos officium de octava S. Petri recitantium sacro quodam horrore percellit: «... quemadmodum corpus magnum et robustum, duos illa urbs (Roma) habet oculos splendentes, horum videlicet Sanctorum (Petri et Pauli) corpora. Non ita splendet coelum, cum radios sol emittit, ut Romanorum urbs duas illas lucernas habens per totum orbem lucem emittentes. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Cogitate et exhorrescite quod spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet repente ex illa theca cum Petro resurgentem et sublatum in occursum Domini...» [2].

Ad eos jam Patres veniamus, in quibus Origenis

1. *In I ad Cor.*, homil. XVII, n. 3; MG. 61, 142-143.
2. *In ep. ad Rom.*, homil. XXXII, n. 2; MG. 60, 678.

reperiri vestigia non una de causa potuerit fortasse quispiam cogitare.

Et in primis verba illa *S. Athanasii* († 373), admodum scita sunt qui dicebat Origenem disputationis causa multa in omnem partem attingere et excutere, sed eumdem orthodoxe pronuntiare quum e sententia loquebatur. Atqui Origenem e sententia loqui, quum multis locis et dedita opera resurrectionis dogma exponit, perspicuum est. Nec tamen, etsi de Origenis mente universe ita sentiat Athanasius, hac in re Origeni favet aut ejus sapientiae quidquam redolet. Certe resurrectionis naturam raro versat magnus Doctor alexandrinus cujus praeclara scripta Trinitatem exprimunt fere tota et ὁμοούσιον Patri Verbum incarnatum. Audiamus tamen aliquid suavis cujusdam loci in quo ipsa Traditio christiana incorrupto et quasi virginali ore loqui videtur. Describit Athanasius S. Antonii mortem, quem dicit ex Aegypto aufugisse, suum ut corpus humaretur. Itaque quum multa alia suavitatis plena tum haec jam jam moriturus S. Antonius discipulis commendat: «Meum itaque corpus humate, terraque contegite..... Ego quippe in resurrectione mortuorum incorruptum *ipsum* a Salvatore recepturus sum &.» [1]: ipsum videlicet humatum corpus terraque contectum.

Eodem fere tempore, quo S. Athanasius, in Alexandrina urbe *Didymus* floruit (c. 397), oculis quidem captus at mente ac memoria praestans animique etiam moderatione apud aequales multum valens. Orige-

1. *Vita S. Antonii*, nn. 90-91; MG. 26, 968-971.

nem in primis magistrum sequutus, variis est illius tinctus erroribus; praecipitaverit tamen qui idem de Didymo in resurrectionis quaestione acre judicium tulerit. Postulabat S. Hieronymus a Joanne Hierosolymitano [1] ut ad omnem de prava resurrectionis intelligentia suspicionem a se excutiendam, ea citius induceret quibus Ezechiel judaeorum populum resurgentem depingit. Ergo ita Didymus noster in 2.° libro «de Trinitate», quantumvis Origenis sententiis delectari soleat: «Hoc sane ipsum significans Ezechiel, eumque simul cum Deo, utpote Spiritum ipsius, resurrectionem facturum declarans, sic prophetat: Haec dicit Dominus ossibus his aridis: Ecce ego induco in vos... &» [2]. Quaedam praeterea Didymi restant dissipata monumenta, in quibus de resurrectione locus breviter attingitur. Eorum tamen sententiam ab Origenis explicationibus degredi, elucere satis videtur. Nam illa verba noster Didymus explanans «Et caro mea habitabit in spe», ea primum ad Christum refert, a quo eamdem *carnem,* non solum corpus in resurrectione assumptum esse plane dicit. Consequitur effatum ab Origenistarum auribus omnino abhorrens, quum in eo Didymus non modo non contemnat, verum laudando etiam commemoret «*simpliciorum* de resurrectione sententiam» [3]. Atque aliis etiam locis haec

1. *C. Joan. Hieros.;* n. 29; ML. 23, 381.
2. Cp. 7, n. 1; MG. 39, 561.
3. *In Act. Apost.,* cp. III, v. 25; MG. 39, 1660. Notetur grave erratum quod in interpretationem latinam irrepsit, totamque potest perturbare sententiam. Membrum graecum δόξης τῶν ἁπλουστέρων vertitur in istud: «sententiae *cordatiorum*», quum in illud esset vertendum «sententiae *simpliciorum*».

ait: «Recuperabit tamen etiam anima quod deposuerat corpus, factum jam coeleste, quod habitaculum de coelo appellatur» [1]. Nec admirationem faciat adjunctio illa οὐράνιον γεγενημένον; id enim ex iis ipsis quae ibi dicuntur ad novas qualitates referendum esse constat: «His ita se habentibus, nos qui in tabernaculo sumus, gravati gemimus... sed enim quamquam eo habendo gravamur, non tamen abjicere optamus, sed indui potius habitaculo quod de coelo est: «ut absorbeatur quod mortale est a vita». Non enim destruet vita tabernaculum nostrum cum induerimus immortalitatem, sed id absorbebit, *quatenus validior fiet ejus qualitas, quam ejus in quo sumus mortales*» [2].

Patrum qui vocantur Cappadoces, tum in omni quaestione tum singulari modo in hac de resurrectione plurimum valere debet auctoritas. Etenim sunt illi egregii theologi, sunt etiam erga Origenem bene affecti. Quamvis itaque, si S. Gregorium Nyssenum excipias, non multum de resurrectione scripti reliquerint, eorum tamen perbreves sententiae religioso nobis studio sunt conquirendae, ut quid viri summi, Origenis etiam amatores, de resurrectione senserint, probe noscamus. Audiamus in primis *S. Basilium* († 379) et *S. Gregorium Nazianzenum* (c. 389-390), magnos et oecumenicos Doctores. Eorum in voce, ut in S. Athanasii et S. Chrysostomi, recinit quiddam et resonat, quo nihil fere orientalibus sanctius, nihil augustius.

1. *In II ad Cor.*, cp. V, v. 1; l. c., 1704.
2. *Ibid.*, v. 2.

Jucunda sane eademque gravis est illa de secundis adversisque rebus beati Job satis longa descriptio, qua S. Basilius homiliam claudit «Quod mundanis adhaerendum non sit». Acutam ibi rationem S. Doctor exponit cur Dominus, quum cetera Job duplicata bona reddiderit, natos numero tantum pares concesserit. Videlicet, ait, quia cetera omnino perierant «liberi vero, licet mortui, optima sui parte vivebant» et «genitorem exspectabant, omnes Job circumstaturi, ubi humanae vitae judex congregaverit Ecclesiam universalem, ubi tuba adventum regis denuntians, *edito in sepulcris sonitu vehementiore, corporum depositum reposcet*» [1]. Ecce vox traditione accepta! ecce Patrum monumentis testata consignataque sententia! Mortuorum corpora terrae mandata *depositum* sunt quod judicii die judex reposcet: «ἡ σάλπιγξ, τοῖς τάφοις σφοδρότερον ἐμβοήσασα, τὴν τῶν σωμάτων ἀπαιτήσῃ παρακαταθήκην.» Alium locum afferamus. Explanat S. Basilius versum 21 Psalmi XXXIII «Custodit Dominus omnia ossa eorum &.»; quem postquam translata quadam significatione est commentus, addit verba illa «Omnia ossa mea dicent» intelligi fortasse posse alia etiam significatione, videlicet «secundum resurrectionis mysterium», celebrique adducta visione Ezechielis de ossibus aridis resurgentibus concludit: «*Haec itaque ossa, resumpta vita,* resurrectionis eorum auctori gratias persolventia, dicent, &.» [2]. Quibus verbis apparet resurrectionis, ut scholastici dicunt,

1. N. 12; MG. 31, 564.
2. In Psalm. XXXIII, v. 21, n. 13; MG. 29, 5. 38.

subjectum esse ipsa ossa mortua; ac proinde argumentum effici potest, quemadmodum saepe antea fecimus [1].

Succedat S. Gregorius Nazianzenus ὁ μέγας [2], ὁ θεολόγος [3], ille «magni nominis et fama celeberrima

1. S. Basilium pro Origene stare adversus corporis resurgentis identitatem non nemo existimavit, ut videtur. (Cfr. Illustr. *Chollet* in articulo, ceterum egregio, *Corps glorieux* apud *Dict. de théol. cath.* col. 1895). Qui tamen objicitur locus, expediri facile potest. Est ille depromptus ex homil. in Psalm. CXIV, in quo Doctor noster aeternam cum praesenti mortali vita conferens, beatam illius constantiam stabilitatemque dilatat, tristem vero hujus volubilitatem lamentatur. In qua, ait, «ante etiam quam anima per mortem a corpore separetur, morimur saepe homines... Quippe natura comparatum est ut homo in tribus annorum hebdomadibus tres aetatis ac vitae vicissitudines ac mutationes sustineat, eoque per singulas hebdomades terminus proprius praeterita circumscribit et manifestam exhibet permutationem. Terminatur dentitione aetas pueri circa primam hebdomadem. Praefinitum tempus pueri, qui jam ad disciplinas idoneus est, ad pubertatem usque extenditur. Pubes anno vicesimo primo completus... sensim desinit, adolescente jam in virum transeunte. Cum igitur videris virum qui per aetatem crescere et augeri destiterit... nec ullum juventutis vestigium prae se ferat, an non ea quae praeterita sunt, in ipso mortua esse existimabis? Senex rursus in aliam formam et in alium animi affectum conversus, manifeste alius est, si cum prioribus comparetur... etc.» v. 7, n. 5; MG. 29, 492-493. Similiter loquitur quum explanat titulum Psalm. 44, non omissis animi mutationibus: «Neque enim corpore neque mente iidem nos sumus. Sed corpus quidem nostrum semper fluxum ac dissipationi obnoxium in motu ac mutatione versatur, aut ex parvo majus factum aut ex perfecto ad minorem molem contractum... secundum animam vero... sententias una cum accidentibus rebus semper commutamus. Alii namque sumus dum laetamur...: alii vero calamitosis temporibus» etc., etc. E commutationibus una est, quam resurrectionis tempore experiemur, scl. «ἀλλοίωσις ἐπὶ τὸ βέλτιον καὶ πνευματικόν» MG. 29, 388-389.

Verum tamen, simpliciter aperteque si loquimur, possumusne in his omnibus ambiguum quidquam inesse putare, quae more ascetico et oratorio modoque etiam ad efficiendum accommodato amplificata et ornata proponuntur? Profecto vel ii ipsi, qui Traditionis vestigiis quoad ipsum loquendi genus religiosissime insistunt, nihil videbunt quare ab his similibusve verbis atque sententiis sibi cavendum sit, quibus illud praecipue effertur, constans nimirum materiae renovatio animique motus et affectiones perpetuo fluentes.

2. *Concil. Ephes.*, Act. I, n. 1. «Testimonia veterum PP. contra Nestorium»; Msi, IV. 1192.

3. *Concil. Chalced.*, «Tertia Pars nonnullorum ad Conc. Chalced. spectantium»: 1. Allocutio ad Marc. Imp.; Msi, VII, 468.

illustris episcopus de partibus Orientis»[1]. Quamquam dedita opera de resurrectione minime agit, erumpit aliquando e doctissimo pectore Traditionis incorrupta vox. Velut in funebri oratione «In laudem Caesarii fratris» plurima exaggerans quae levationem afferant doloris, in memoriam revocat, quum disjungitur animus a corpore, quasi emitti eum e custodia et in Deum ferri quo beate perfruatur, «post etiam aliquanto, cum cognatam carnem a terra, quae et dederat et in fidem acceperat, receperit... tum demum eam quoque ad gloriae coelestis haereditatem secum admissuram». Etenim «audi quid de ossium et nervorum compactione divinus Ezechiel disserat»[2]. Quod resurrectionis ex Ezechiele depromptum simulacrum egregie perstringit in ea oratione, qua Episcopis in concilium congregatis populoque constantinopolitano valedicit, admirabilesque gregis sibi commissi pene a nihilo ad incorruptam denuo fidem progressiones cursumque describit[3]. Sed illustrius ac saepenumero de resurrectionis ratione ac via in poematis agit, modo τὴν ἐκ τάφων ἀνάστασιν inducens[4], modo de pulvere loquens qui delabitur et subter manet «donec Creatoris vox ad harmoniam revocaverit rursus consociatorum necessariam dissolutionem»[5]. Concludat clarissimus hic alius locus et obsignet priora testimonia:

1. *Contr. Jul.*, cp. V, n. 15; ML. 44, 649.
2. *Orat.* VII, n. 21; MG. 35, 781, 784.
3. *Orat.* XLII, n. 6; MG 36, 465.
4. L. II, *Poem. hist.*, sect. I, XI; MG. 37, 1106.
5. L. I, *Theol.*, sect. II, XVIII; l. c. 787 nota ad v. 11.

«Quae terra, quis me tumulus hospitalis operiet?...
»Atque haec quidem venti auferant. Est enim parvi [animi haec cura.
»Utrum meum corpus sepulcro aliquis mandaturus sit, [pondus exanime
»An etiam insepultum feris praeda futurum sit...
»Quod si volueris, combustum manibus in aerem spar-
»Aut in altos scopulos non humatum impinge, [ge,
»Aut in fluminibus putrescat, aut in pluviarum fluentis;
»*Non enim ego solus ignotus ero, ac non collectus.*
»Atque utinam id fieri posset! id enim multis satius [foret. *Sed omnes simul*
»*Extrema dies, nutu divino, ab orbis terminis ad-* [*ducet,*
»*Etiamsi quis alicubi cinis sit, aut membra morbo* [*consumpta...*» [1].

Aliis de causis in *S. Gregorio Nysseno* (c. 394), S. Basilii fratre natu minore, aliquanto magis haereamus. Qui quidem unus est de Patribus qui Origenem plus diligunt, imo is fortasse qui in explicationibus de resurrectionis dogmate ad Origenem maxime accedit. Eum dum audis, diceres ipsum Origenem identidem loqui; quin etiam quibusdam locis de iis disputans, quae spectant ad τὸ εἶδος, σχῆμα, τὴν κατὰ τὸ ποσὸν περιγραφὴν etc. corporis resurgentis, adeo per subtiles acutissimasque vias ingreditur, adeo figuras et formas quasdam, supra eas quae sub oculos cadunt, sive ratione sive etiam conjectura persequitur, ut Orige-

1. L. II, *Poem. hist.*, sect. I, XLIII; l. c., 1347-1348.

nem, qui nova haec commovere numquam est fortasse ausus, ipse S. Gregorius superare videatur[1]. Hic autem tam acer atque valens disputator, qui tum alibi tum in egregio dialogo «De anima et resurrectione» momenta omnia in causa resurrectionis, praesertim adversus corporis resurgentis identitatem, acutissime versat et premit[2], tamen nihilominus plane decernit tamquam exploratum fixumque eamdem materiam cum animo rursus esse copulandam, atque hac in re magistro Origeni quidquam concedere factu nefas esse judicat. Quapropter, etsi subtilia quaedam in totum librum confundat, aperte docet corporis elementa, post mortem dissipata, rursus collectum iri[3]; a Deo praepotente non solum nobis *redditum* corpus dissolutum, verum etiam *additum* iri magnitudinem atque pulchritudinem[4]. Praecipue tamen ad medium

1. Cfr. v. gr. *De mortuis*, MG. 46, 532 sqs.; *Antirrheticum*, XLII, LIII, LVII, MG. 45, 1224, 1253, 1261-1265. Difficillima sunt haec atque alia ex S. Nysseno deprompta, quae tamen non ad nostram quaestionem sed ad qualitates resurgentis corporis pertinent. Sanctum Doctorem tueri ejusque aspera effata recte sonare contendit S. Anastasius Sinaita, inter eas accidentes qualitates disjungens quae etiam et quae non de peccati fonte manant: illis penitus abjectis, his ad quoddam tempus assumptis et in melius post resurrectionem commutatis *(Viae Dux*, cp. XIII; MG. 89, 212-213). Eumdem fere defensionis modum sequutus est P. Petavius (*Theol. dogm. de Incarn.*, l. X, cp. 1, n. 6 sqs.; t. 6, ed. Ven. 1745, pg. 5 a sqs.). Atque est istud quidem defensionis aliquid, sed nequaquam in eo sunt omnia. Nec mirum. *Antirrheticus* latuit Petavium; in *Antirrhetico* autem reperiuntur pronuntiata obscura maxime et ardua, ea nimirum quae a Christi corpore excludere videntur εἶδος, σχῆμα, μορφὴν, τοῦ ὄγκου περιγραφὴν, τὸ σωματικὸν etc. etc. Subtilior magisque accurata explicatio a Zacagnio traditur, pressius breviusque praecisa (MG. 45, 1253, nota 25). Nos integram explicationem omittimus, utpote quae ad rem nostram minime pertinet.

2. MG. 46, 137 sqs.

3. L. c., 108-109, 152-153.

4. L. c., 153. Eodem loco (col. 153, 156) acute explicat subdifficile resurrectionis exemplum grani frumenti, ab Apostolo propositum.

dialogum propriam sententiam enucleatius exponit; secernendarum dissipati corporis particularum animo adscribit facultatem et copiam, quibus adsit οἷον εἰ φύλαχα τῶν οἰκείων[1], definitque resurrectionem «rursus in idem concursus diremptorum ad instaurationem dissoluti corporis ex elementis coacti...»[2]. Idem Doctor in libro «De hominis opificio», quo facilius tota quaestio declaretur, materiam asserit non integram diffluere sed quasdam ejus partes fixas permanere quasi formatas et obsignatas, quae resurrectionis tempore, ubi ubi sint dissolutae, certe quidem se mutuo attrahent atque animo rursus adhaerescent[3].

Sejungi nequit ab his summis e Cappadocia viris *S. Amphilochius* (c. 394), fama minor sed tum laborum communione pro fide tum amicitia cum iis maxime conjunctus. Is autem ita quodam loco ait: «... post passionem, januis clausis, stetit Dominus in medio discipulorum quo fore noveris ut etiam animale *corpus tuum seminatum* resurgat spirituale»[4]. Demonstratur videlicet cadaver (...τὸ ψυχικὸν σῶμα σπαρὲν...) idem in resurrectione excitandum; qua loquendi ratione, ut supra declaravimus, satis indicatur fore ut eadem materia animo rursus colligetur. Pulchre autem idem Sanctus paulo post, tametsi id minus ad rem nostram, asserit Corpus Christi resurrexisse τοῦτο attamen οὐ τοιοῦτο[5].

1. L. c. 76 sqs.
2. L. c., 76.
3. Cp. XXVII; MG. 44, 225 sqs.
4. MG. 39, 108.
5. L. c. — Pulchre etiam versat hanc distinctionem insignis ille Abbas, S. Isidorus Pelusiota, II, 43; MG. 78, 485.

Syriaca monumenta eamdem de resurrectione testantur fidem atque communiunt. Exordimur autem ab *Aphraate* (fl. 336-345), Episcopo ut fertur, cui cognomen erat «Sapientis Persae», et qui antiquissimus, imo et ultimus Ecclesiae Syriacae Pater haberi solet[1]. Duae illius restant et viginti homiliae quarum octava de mortuorum resurrectione agit. Hic etiam auctor, perantiquo et trito seminis adducto simulacro, postea quam id nos docturum esse asserit corporis dissolutionem ac dissipationem, plane notat seminis vicissitudines «quod in terram cadens, putrescit et corrumpitur, atque *ex ipsa corruptione* crescit, germinat et fructum praebet»[2]. Atque nova quadam animumque percellente imagine usus, continuo addit: «Et sicut terra arata, in quam nullum semen cecidit, fructus non parit, quamvis universos imbres haec terra bibat, ita e sepulcro cui nulli mortui commendati fuerint, nulli homines in resurrectione mortuorum prodibunt, licet ibi resonaret omnis tubarum clangor»[3]. Deinde eos refellit qui hominem corpore caelesti praeditum resurrecturum esse ajunt, loco illo usi S. Joannis V, 28 «Veniet hora et nunc est...»; «non utique, ait, veniet corpus coeleste quod in sepulcrum penetret, ut ex illo rursum prodeat»[4]. Postremo, quum alia multa satis apte dicit, tum illa singularis est ratio et ad rem nostram egregie accommodata cur Jacob in majorum sepulcro condi voluerit

1. *Patrol. Syriaca*, ed. *Graffin*, Paris Didot, 1894 sqs.; I, Praef. cps. 1-2.
2. L. c., col. 363, 366.
3. L. c., col. 366.
4. *Ibid.*

«ut scilicet facto clangore et (audita) voce tubae, *patribus suis proximus resurgeret*»[1].

Post Aphraatem praetermitti nequit praeclarum Ecclesiae Syriacae caput et insigne specimen, paulo abhinc tempore universae Ecclesiae Doctoris titulo decoratum, *S. Ephraem* († 373). Illius e monumentis, in quibus eminet insigne et florens scribendi genus, acri sensu vibrans atque commotum, possumus multa eaque illustrissima testimonia eruere. Illustris est, exempli causa, multaque vi animum percutiens imago illa his verbis expressa: «Ova inexperti mortua deputant; mortua tamen non sunt matri, ovis suis in nido positis incubanti: exstincta hominum corpora vita carere credunt qui fidei lumine carent; vivunt tamen intra sepulcrum ei cui omnia vivunt»[2]. Minori dicuntur novitate, nec tamen minori vi haec quae ex oratione quadam *In secundum adventum Domini* depromimus: «Jubebit enim Rex magnus, et suos terra mortuos statim cum tremore ac festinatione reddet, mare itidem suos; quidquid item humanorum corporum vel bestia rapuit vel voravit piscis avisve discerpsit, omnes in ictu oculi adstabunt, ita ut ne unus quidem capillus capitis desit»[3].

Hujus est loci antiquitate praestans monumentum afferre *Didascaliam* scilicet *Apostolorum* syriace redditam, quae saeculo IV aut fortasse saeculo III,

1. L. c., 374.
2. *S. P. N. Ephraem Syri* opera omnia... 6 vol. (3 vol. syriace et latine, 3 vol. graece et latine) ed. *Assemani*, Romae 1732-1746; v. 2 syr. et lat., *Sermones adv. haer.*, serm. 52, pg. 552.
3. L. c.; v. 2 graec. et lat., pg. 213.

circiter dimidium, videtur adscribenda[1]. De mortuorum resurrectione copiose disserit auctor, Episcopus fortasse e Mesopotamia[2]; apposite vero ad rem nostram sic de resurrectione dicere exorditur: «Resuscitabit nos Deus omnipotens per Deum salvatorem nostrum, sicut promisit; resuscitabit autem nos a mortuis omnino in ea forma, in qua nunc sumus, immo cum gloria magna vitae aeternae, nulla re nos deficiente. Etiamsi enim in profunda maris jacti vel a ventis sicut glumae dispersi sumus, intra hunc mundum sumus, et totus mundus manu Dei continetur...»[3]. Resonant haec illis quae saeculo II ab apologetis audivimus praeclare dicta: *Etiamsi a ventis dispersi sumus, totus mundus Dei manu continetur,* qui nimirum particulas omnes, quantumvis in profundo retrusas atque abditas, infinita mentis acie cernens, segregabit rursusque coagmentabit. Sequuntur de resurrectione quidam Scripturarum usitati loci: *Dan.* XII, 2, 3; *Ezech.* XXXVII, 1-14; *Is.* XXVI, 18-19; et quum alia tum satis amplificatum phoenicis avis exemplum. Quae omnia eo spectant ut ex eadem materia corpus resurgens constituendum esse demonstrent.

Hactenus complures adduximus Sanctos Patres qui omnes ad unum, sive re sive etiam verbis, adver-

1. *F. Nau* «Ancien. littérat. canon. syriaq.» fasc. I, *La Didascalie des douze Apôtres,* Paris 1912; Introd., II-2.°, IV.

2. L. c.

3. L. V, n. VII; F, v. 1, pg. 248 sqs. Latinum et syriacum concordant. Graecum, ad finem s. IV pertinens, quaedam inculcat, ut nostro loco: «κἂν ὑπὸ θηρίων ἢ ὀρνέων διασπασθῶμεν, ἀναστήσει ἡμᾶς τῇ ἑαυτοῦ δυνάμει, ὅτι...» F, l. c. (Cfr. Rouët de Journel, *Ench. Patr., Const. Apost.,* n. 1232).

sus Origenem sententiam ferunt. Duo restant scriptores ex IV saeculo, de quibus aliquid fortasse fuerit quaestionis: *Eusebius Caesariensis* (c. 339-340) et *S. Pamphilus* (c. 309-310). Atque illum quidem dimittere possumus. Ecquis enim Origene et Eusebio patronis tutum se atque satis defensum esse judicet? Nonnihil tamen dicemus; Sanctus vero Pamphilus quid senserit, diligentius est investigandum.

Ut itaque de Eusebio brevi comprehendamus, eum in aliis quibusdam, ad corpus resurgens pertinentibus, peccasse non diffitemur[1]; at nostra in re

1. Quaedam utique male sonantia habet Eusebius, ad constitutionem quod attinet corporis resurgentis et temperationem gloriosam. Conferantur v. gr. quae exstant ex ejus epistola ad Constantiam Augustam (*Concil. Nicaen.* II, Act. VI; Msi, XIII, 313, 317); adversus ea fortissime invehitur S. Nicephorus (Pitra, *Spicil. Solesm., Antirrhetica,* I, cp. XLI sqs., pg. 433 sqs.). Pessima fortasse sunt, si Eusebii tandem sunt (CB, *Eusebius Werke,* III, 2 Hälf., ed. *Gressmann,* Einleitung, B, I, 1), c, pg. X*), quae tamquam ex Theophaniae libro ad nos ejus nomine pervenerunt. De Christo loquens Eusebius et rationem afferens cur in altero adventu Christus Dominus tamquam fulgur omnibus ad punctum temporis se ostensurus sit, ait: «Οὐκέτι γὰρ περιβεβλημένος σάρκα φθαρτὴν, ἐξ αἵματος καὶ ὀστέων συγκειμένην, βαδίζει...» MG. 24, 653. Haec sine dubio ambigua sunt et quae in pravam partem facile detorqueantur, praesertim quum de scriptore suspecto et aliquando oblique sentiente agatur. Nihilominus similes locos, imo difficiliores, videre licet apud optimos auctores. In memoriam revocentur quae de S. Gregorio Nysseno antea notavimus. Nazianzeno nihil orthodoxum magis; audiatur tamen locus quem ipsa Synodus Nicaena II, magna cum laude exceptum, in suos anathematismos inclusit: «Πίστευε τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ... ἥξειν τε πάλιν μετὰ τῆς ἐνδόξου αὐτοῦ παρουσίας, κρίνοντα ζῶντας καὶ νεκρούς· οὐκ ἔτι μὲν σάρκα, οὐκ ἀσώματον δὲ, οἷς αὐτὸς οἶδε λόγοις, θεοειδεστέρου σώματος, ἵνα καὶ ὀφθῇ ὑπὸ τῶν ἐκκεντησάντων, καὶ μείνῃ Θεὸς ἔξω παγότητος» (*Concil.Nicaen.*, II, Act. VI; Msi, XIII, 336. — Cfr. *Orat.* XL, *In Sanct. Bapt.*; MG. 36, 424). Itaque quum Eusebius ait Christum non esse venturum «circumdatum carne corruptibili, ex sanguine et ossibus constante», fortasse removere solum vult a sanctissima carne Christi accidentes quasdam proprietates, quae gloriosae vitae convenire non possunt; vel utique eo modo potest intelligi quo S. Gregorius Nyssenus. Clarior quidam locus atque ad hunc explicandum aptus videatur apud Procopium Gazaeum: *In Gen.*, cp. XVIII; MG. 87-I, 364.

Origeni concessisse et a majorum via declinasse penitus negamus. Clara enim exstant testimonia quibus de ejus sententia efficiatur eamdem esse materiam in resurrectione congregandam. Commentarios in Isaiam evolvamus. Capitis XXIV alterum versum explanans, haec habet: «Prophetico more resurrectionis mortuorum modum significat. Cum autem revelata fuerint ea quae in terra condita corpora, qui judicandi sunt ante tribunal magni judicis, ex aequo omnes sistentur...»[1]. Pulchra paulo post et suavi imagine idem illustrat: «...Sanctorum mors somnus appellatur. Consequenter autem ad somnum, resurrectio experrectio esse dicatur. Quamobrem secundum reliquos interpretes, experrecturos esse qui in monumentis sunt primo dicitur, etc. Ros autem in terram delapsus, sensim placideque injecta ibi semina enutrit et accrescere facit: eodemque modo ros abs te prodiens medelam, vitam et salutem mortuis afferet tuis, quorum corpora variis temporibus in terram velut semina jacta fuerint»[2]. Atque alia hujusmodi reperiuntur[3].

Nobilissimus Christi martyr idemque prudentissimus Origenis patronus, S. Pamphilus, tametsi curriculo temporis ex ultimis est, Patrum scriptorumque saeculi IV numerum testimoniumque concludet. Ejus sententia singulari animi attentione eruenda et explicanda est.

1. MG. 24, 257.
2. *In Is.*, XXVI, v. 19; MG. 24, 277.
3. Cfr. v. gr. *In Psalm.* 103, v. 30; MG. 23, 1285. — In comm. in Lucam utitur etiam Eusebius pulchro et agente simili: *In Luc.* XXI, v. 29 sqs.; MG. 24, 601. Non tamen hi commentarii videntur certo adscribi posse Eusebio.

Prima est in quaestionem ingressio decernere tum calumniatores esse tum plane mentiri quicumque asserunt ab Origene resurrectionem negari. Quin imo, catholicam hac in re Origenis mentem germanamque doctrinam vult ipse demonstrare; ad id autem decem locos depromit qui toti contendunt ut probent esse resurrecturos *eosdem homines, iisdem corporibus, eadem carne*[1]. Atque est perspicua ratio: secus resurrectio nulla esset. Verum de Origenis explicationibus, quid demum Sanctus Martyr? Ne verbum quidem. Utique usque eo progreditur ut celeberrimum et criminationibus adversariorum gignendis foecundissimum praeter ceteros locum, videlicet Psalmi I commentarium, proprie notet atque afferat. Salebrosum esse locum satis indicat is ipse, quo eum inducit, modus[2]. Tamen non excerpit nisi ea quibus Origenes identitatem τοῦ εἴδους asserit, quamvis aliae sint qualitates. An inde concluditur Origenis commentationes universe a S. Pamphilo vel aliquo modo approbari? Certe non videmus; et ob eam causam initio diximus nullum Origeni, si res ad vivum resecetur, adhaesisse perfecte proprieque discipulum. An contra eruitur eas a S. Pamphilo improbari? Ut videtur, distinguendum est. Improbari ab ipso, saltem tamquam dogmati aperte contrarias, nullatenus concluditur. Diserta enim et sollicita Origenis defensio, quod ad identitatem attinet corporis resurgentis, et praeterea

1. *Apol. pro Orig.*, VII; MG. 17, 594-601.
2. «*Non praeteribimus vero neque illum locum,* quem de primo Psalmo disseruit, in quo etiam de resurrectione ita scripsit...» L. c., col. 598.

grave silentium, quo ex omni parte novas illius explicationes tegit et quasi obruit, nusquam vel significata ulla ex his defensionum rationibus quas aliis in quaestionibus adhibere solet, ut exempli causa rem Origenis tempore in opinione versatam esse &.: haec omnia suadere videntur S. Pamphilum dogma ab explicationibus accurate prudenterque distinguere, eumdem praeterea vehementer plaudere firmis clarisque Origenis pronuntiatis de ipso resurrectionis dogmate, minimeque judicare Origenis explicationes simpliciter dogmati esse contrarias. At vero, hoc posito atque concesso, eos tantum conquiri a S. Pamphilo depromique locos quibus ab Origene videtur asseri cadaveris materiam, vel totam vel partim saltem, cum animo rursus esse jungendam, ita ut hac defendendi ratione, sive in speciem sive fortasse re et veritate, iis quae aliis locis idem Origenes propugnaverat repugnare videatur; ad haec permirum S. Pamphili de origenianis novis atque celeberrimis interpretationibus silentium; aut intimae S. Pamphili mentis nullam habent significationem sed continent tantum prudentem defensionis modum atque artem, aut, si quid inest significationis, significari potius videtur nova illa ab Origene excogitata, illustria quidem sed non ideo minus nova, S. Pamphilo non satis probari.

Saeculo V

Ingredientibus nobis saeculum V, Sancto Pamphilo nominato, fieri non potest quin alter illico obversetur studiosus in primis atque satis disertus Orige-

nis patronus, prudentia tamen illi minime par, cujus opera liber primus Apologiae, a S. Pamphilo et Eusebio conscriptae, in latinum conversus ad nos usque pervenit: *Rufinum* dicimus († 410). Cujus appellatione rursus excitatur quasi necessario illius memoria qui Rufino terribilis adversarius extitit, idem et orthodoxiae acerrimus vindex atque vehemens propugnator, nimirum *S. Hieronymus* (c. 419-420). Apud Rufinum invenire licet clarissima hac in re adversus Origenem testimonia[1]. Apud S. Hieronymum etiam; quamquam hic, existimans se contra Origenem fortiter et ad rem accommodatissime decertare, minus fortasse efficit quam alii auctores ac vel ipse Rufinus; quum saepenumero hoc sit contentus uno si adversus Origenem ornate copioseque demonstret nos *eadem, ex qua nunc constamus, carne* esse resurrecturos. Audiatur tamen locus in quo plura Scripturarum testimonia exaggerat: «Procedent autem de monumentis, id est, qui monumentis illati fuerant, venient mortui et resurgent de sepulcris suis. *Ros enim qui a Deo est, medicina est ossibus ipsorum.* Tunc implebitur quod Dominus loquitur per prophetam: *Populus meus, intra in cellaria tua aliquantulum, donec ira mea transeat* (Is. XXVI, 20, sec. LXX). Cellaria sepulcra significant, de quibus hoc utique profertur quod conditum fuerat. Et exibunt de sepulcris suis veluti hinnuli de vinculis soluti. Gaudebit cor eorum, et ossa eorum sicut sol orientur; veniet

1. *In Symb. Apost.*; ML. 21, 378 sqq. — Videri potest, etiamsi locus non sit tam apertus, *Apol.* I, nn. 4-9; l. c., col. 544-547.

omnis caro in conspectu Domini, et mandabit piscibus maris et eructabunt ossa quae comederant, et faciet compagem ad compagem et os ad os; et qui in terrae pulvere dormierunt, resurgent &. &.»[1].

His duobus auditis, satis erit si ex multorum copia pauca seligemus exempla, eaque ex prima fere saeculi V parte quum summi etiam tum scriptores florerent, atque in primis *S. Cyrillus Alexandrinus* († 444) et *S. Augustinus* († 430), quorum alter in Oriente alter in Occidente theologicam antiquitatis scientiam ad supremam excellentiam adduxit. His tamen omnibus sedet altior, auctoritatis majestatisque plenus, *S. Leo Magnus* († 461), qui merito videri potest totius aureae Sanctorum Patrum aetatis magnificentissima perfectio et absolutio. Statim fere atque hic tantus vir ad excelsam Petri cathedram evehitur, extinguitur Orientis lumen S. Cyrillus, magnus autem Augustinus jam pridem obierat, et in universo terrarum orbe quasi fit silentium ut vox illa, in qua divinum quiddam resonare dixeris, clarissime audiatur.

Itaque Orientis in ea regione quae Patriarchae vel quasi Patriarchae Constantinopolitano adhaeret, S. Chrysostomi discipulus idemque monachus insignis testimonium dabit. Aphthonio Samaritae, adversus resurrectionem plura objicienti, respondet *S. Nilus* (c. 431), hanc iterum atque iterum responsionem dare perseverans: «...quem alias tibi miseram sermonem, eumdem nunc cum placiditate repetam. Quem-

1. *Contra Joan. Hieros.*, n. 33; ML. 23, 384- 385. Videri possunt ex eodem libro n. 25 et sqs.

admodum primum ex terra homo, potentia et arte sapientissimi ac omnipotentis Domini, substitit: ita et in fine praesentis saeculi ex cinere corrupti corporis resurrectio fiet... &» [1]. Et addubitanti rursus Aphthonio de cineribus dissipatis S. Nilus breviter et clare ita scribit: «Dixisti humanorum corporum cineres huc atque illuc dissipatos a ventis, et quasi ventilabro jactatos: et quid erit ultra? Sed perpendas velim undenam terra producta est, unde ignis, et aer, et aqua substitit? ...respondebis: ex eo quod non erat in id quod est, elementa a Deo producta fuisse. Ipse etiam edico tibi: quemadmodum ex iis quae non erant ad id quod sunt, omnia nutu solo divinae voluntatis substitere; ita ex eo cinere, qui a te deperditus esse existimatur, humanorum corporum resurrectio erit» [2].

Commemorare placet hoc loco [3] scriptorem quemdam satis adhuc ignotum, quem tamen Blondel anno 1876, quibusdam scriptis illius edendis, a pulvere excitavit et in meliore lumine collocavit. Is est *Macarius Magnes,* qui sive ad finem saec. IV sive initio saec. V scripsisse videtur opus Ἀποκριτικός [4]. In quo volumine vel potius voluminis amissi nonnullis reliquiis ea videmur audire quae olim philosophus quidam contra christiana dogmata Scripturamque jactabat.

1. I, CXI; MG. 79, 129 sqs.
2. I, CXII; l. c.
3. Cfr. Bardenhewer, *Geschichte der altkirchl. Liter.,* IV, (ed. 1924), erst. Teil, Kap. 2, in quo scriptores colligit «im Umkreis des Patriarchats Konstantinopel».
4. Ed. Blondel, Parisiis 1876. — Quae philosophus objicit, edita sunt rursus ab A. Harnack in TU, 37, Heft 4, 1911.

Responsionem esse difficilem Macarius ad disputationem aggrediens, plane fatetur: «... πολὺς ὁ λόγος καὶ πολλῆς δεῖται βασάνου» [1]. Et re vera longa est Macarii responsio, quamvis integra non exstet; sed est praeterea ad Traditionis normam diligenter et acriter directa. Audiatur hic locus: «... neque illud puerile decantare [debes] dicens: «Qui fieri potest ut, si quis naviget et a piscibus edatur, qui item ab hominibus comedantur, quos postea canes occidant et edant, consumendi et ipsi postremo ab accipitribus, is denuo reviviscat et resurgat quum a tot feris sit consumptus?» Haec enim verba non sunt hominis sobrii et vigilantis sed eorum qui in ebrietate accumbunt et somnia sibi depingunt, si ne ut ignis quidem ipse ignis effector, quum resurrectionem facit, agere potest... Itaque quandoquidem adeo valet ignis vis et tam actuosam habet efficentiam ut ex materia materiam eliciat puram et suam cuique naturam incorruptam servet, et, quamvis aurum ceciderit in innumerabilia abdita loca, et quamvis in infinitas particulas dissolutum ac disseminatum in luto, in argilla, in diversorum congestu, in stercoris acervis, omnibus ignis injectus salvam naturam eorum quae perierunt exprimit: quid dicamus de eo qui naturam ignis constituit? Numquid ne aeque quidem ut ille, hominem, pretiosum quiddam rationis particeps et auro nobilius, innumerabilibus in rebus jacentem poterit separare, eosque salvos praestare qui in terra, qui in mari, qui in fluminibus aut in lacus stagnis

1. L. c., pg. 220.

occiderunt, quos ferae alitesve comederunt, qui in tenuem infinitumque pulverem dissipati sunt, sed imbecillior igne reperietur...?» [1]. Plura adduci possunt; sed ea quae attulimus satis sunt ut in Macarii scriptis notissimam incorruptamque Traditionis vocem rursus audiamus.

E Patriarchatu Antiocheno nominari potest *Archiepiscopus Seleuciensis Basilius* († post 458) qui, quum primum monophysitis aliquantulum favisset, postea fortis in orthodoxia perseveravit. Est ille orator facundus, imaginibus utens agentibus, insignitis, animum percutientibus; sed interdum genus orationis persequi videtur exquisitum nimis atque rhetoricum. Illius sententiae nostra in causa hoc sit exemplum: «Quae enim vis oculorum tanta quae terribilem judicii diem sustinere possit, quando terra perturbabitur, et mare sata ex Adamo hominum corpora reddet exaestuans, quando cum angelis homines jactabuntur, praesentem terrorem minime ferentes? Nam velut accedente rege coelum torquebitur... conspicitur vero descendens Dominus, dum nimia luce circa se praefulgurat universa. Quis ejusmodi spectaculo spectando par erit? quis terrori moderabitur? Nam si fulgur crebro intermicans non ferimus et non raro splendor intuentem solo affigit, quid tum dicet quando eum ipsum, qui jacit fulgura, viderit emicantem? quando tubarum sonitus mortuos e sepulcris ciebunt; quando monumenta et loculamenta disrumpentur et captivos emittent... quando simul vivi ac mortui confluent?

1. L. c., pg. 224.

Omnium enim una erit evocatio... neque mortuum tumulus reddet segniorem &.» [1].

Verum ex Antiocheno Patriarchatu inter ceteros eminet *Theodoretus* (circum 457-474), Episcopus Cyrensis qui, nisi amico Nestorio nimis initio favisset, non solum egregia doctrinae monumenta sed etiam vitae sanctae specimen nomenque immaculatum et illustre posteris reliquisset. Hujus scriptoris sententiae libere ac pellucide fluunt, easque ornat graece loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia. Breve seligamus exemplum; neque enim de resurrectionis argumento enucleate disserit Theodoretus. Ergo pulchre et ingeniose versum illum explicat Genesis: *Verumtamen carnem in sanguine animae non comedetis* his verbis: «Hic insinuat resurrectionem, non quod bestias vocaturus sit in judicium, et de his supplicium sumpturus, eo quod homines devorarint: sed ut congregaturus corpora ab ipsis consumpta, et illa suscitaturus» [2]. Et adjungit rationem quam ex Patribus saepe audivimus: «*In manu enim ejus sunt omnes fines terrae,* et est illi facile undecumque corpus nostrum congregare» [3]. Dein tamquam locum clariorem indicat celebrem Ezechielis visionem.

Theodoreti nomen in memoriam revocat celeberrimum Patriarcham Alexandrinum *S. Cyrillum,* quocum fortissimo athleta magna illi dimicatio fuit. Ec-

1. *Orat. XL, In Transfigurationem Domini,* etc., n. 3; MG. 85, 460-461. Cfr. *Orat. XIII, In Ion.;* l. c., 172 sqs.
2. *Quaest in Gen., Interrog.* LIV; MG. 80, 157.
3. *Ibid.*

clesiae Alexandrinae per plures annos quasi lingua et cor, quid illa senserit S. Cyrillus prae ceteris aperiat. Non tamen ex eo restant propriae et enucleatae disputationes, quamvis tam multa scripserit, sed utique satis crebrae praecisaeque sententiae, quod habere videtur significationem profligatae jam et ad exitum adductae quaestionis [1]. Sic exempli causa ex commentario S. Joannis: «Quum igitur nos circa tempus resurrectionis e monumentis (terrae: τῶν ἀπὸ γῆς μνημάτων) extrahet Christus, tunc certe repurgatos nos ab antiqua labe, detracto velamento, liberos ire jubebit &.» [2]. Et paulo post idem iteratur iisdemque fere verbis: [3]. Non est dissimilis in commentariis Isaiae loquendi ratio: «Resurgent enim mortui et quae in terra ac monumentis sunt corpora in vitam redibunt» [4]. Illius etiam versus «seminatur corpus animale, surget corpus spiritale» commentarius sic brevi sententia clauditur: «Ipsum illud itaque (corpus) quod in pulverem abierat (τὸ κατενεχθὲν εἰς τὴν γῆν) immortali-

1. Venerandus ille Abbas *Isidorus Pelusiota* († c. 435-440), quem *parentem* nominabat ipse S. Cyrillus Alexandrinus (I, 370; MG. 78, 392), nihil pugnat de resurrectione adversus Origenem, quum in causa de *praeexistentia* animorum egregie in eum invehatur (IV, 163; MG. 78, 1248 sqs.). Verum de recta hujus tanti viri mente nequit prudenter dubitari, si pauca quaedam attendimus (cfr. I, 284 et II, 43; MG. 78, 349 et 485). — Contra, fama celebris et mysterio etiam nunc tectus, *Synesius Cyrenaeus*, Episcopus Ptolomaeus († post 412) videtur revera primum fuisse origenista vel quiddam simile; certe quidem sententiam de resurrectione tenuit longe positam a perceptione et notitiis multitudinis: ἱερόν τι καὶ ἀπόῤῥητον (Ep. CV; MG. 66. 1485). Deinceps vero, saltem postea quam Episcopus creatus est, sententiam hanc rejecit (Cfr. *Photium* Cod. XXVI; MG. 103, 61).

2. Cp. XI, v. 44; MG. 74, 65.

3. *Ibid.*

4. Cp. XXVI; v. 19; MG. 70, 588.

tate vestietur» [1]. Et sic saepe numero, breviter et dilucide satis.

Etiamsi Patres, qui ante *S. Augustinum* florue-runt, omnes ad ultimum usque lustraris, quum ad ipsum Augustinum accedis, sentis profecto te ad majus quiddam pervenisse atque illius, qui «Aquila Doctorum» appellatur, excelsas mentis agitationes motusque suspicis admiratione correptus. De hoc tanto ingenio ita Leo XIII: «Sed omnibus (scilicet antiquitatis christianae doctoribus) veluti palmam praeripuisse visus est Augustinus, qui ingenio prae-potens, et sacris profanisque disciplinis ad plenum imbutus, contra omnes suae aetatis errores acerrime dimicavit fide summa, doctrina pari» [2]. Inter quaes-tiones autem, quas ille diligentissime versavit tota-que mentis contentione sibi enucleandas propugnan-dasque suscepit, non mediocrem locum occupat quaestio de resurrectione, quum ex hac, quasi arce, ut jam diximus, nostrae religionis hostes in christia-nos insultarent omnisque generis contorta funderent sophismata. Ita factum est ut vix ullum locum, etiam minimum, magnus ille Doctor sine disceptatione et acuta explicatione aut certe ignorationis confessione reliquerit. Agit enim de monstris, de pueris natis et non natis, baptizatis et non baptizatis, de imperfectis, de corporibus dissipatis atque igne, aqua, anthropo-phagia consumptis, de sanguinis, pituitae, felis, un-

1. *In Luc.* XXIV, 38; MG. 72, 948.
2. In Encycl. «Aeterni Patris»; *Leonis XIII, P. M. Acta,* v. I, 1879, ed. Vat., pg. 270.

guium capillorumque reditu, de innumerabilibus aliis[1]. Tam excellenti et acuto ingenio, num difficile aut laboriosum nimis futurum fuisse putamus, compluribus, quae objiciebantur, fundamenta subducere decernendo nihil esse cur eadem disjecta materia colligeretur, sed satis esse si iisdem lineamentis idem ad adspectum corpus coagmentaretur aut alia similis explicatio fingeretur? Dixerat ipse quodam loco posse Deum «membra mortalia, *formae lineamentis manentibus,* corruptione vero mortalitatis emortua, stabili vigore firmare; ut absit labes, *adsit affigies,* etc.»[2]. Haec explanare, facile; his explanatis, recentiorum quorumdam explicationem fere haberemus. Sed facili ista explicatione relicta quae in majorum sententiam transversa incurrit, tantus ille Pater, tam acri praeditus ingenio, majorum sententiae perpetuo inhaerens, eamdem fortissime et sapientissime defendit. Quamobrem facilius multo est aliquem reperire locum minus fortasse aptum aut clarum quam infinitam locorum aptissimorum vim exaggerare atque proponere.

S. Augustini ubertas totum deinceps Occidentem

1. E celeberrimis locis sunt: *De Civit. Dei,* l. XXII, cp. 12 sqs.; *Enchiridion* sive *de fide, spe et charit.,* cp. 84 sqs.; Serm. 361 et 362. In quaestione utrum in resurrecctione easdem corporis partes materia constituat, an nihil intersit quae cuique parti rursus adjungatur, dummodo corpus ex tota materia confletur, dici solet postremum ab Augustino defendi. Acute tamen nec sine aliquo fundamento contradicit Bautz, de cujus sententia Augustinus solum loquitur de materia capillorum et unguium, quae in sua fortasse loca turpiter restitueretur *(Bautz, Die Lehre vom Auferstehungsleibe,* I Th., 2 Abth., § 10, pg. 146 sqs.). Idemque dici potest, et satis indicat ipse Augustinus, de materia quarumdam partium quae pravae ac deformes sint.

2. *Ep.* CCV, cp. I, n. 4; ML. 33, 943.

aluit. Nominemus tamen hujus aureae aetatis optimum fortasse S. Augustini discipulum, *S. Prosperum* († p. 455) qui, brevibus quibusdam documentis seligendis, elimatis nonnihil et sine vitio accommodatis, quasi theologiae Summam ex magistri operibus confecit. De resurrectione vero perbrevem hanc e Psalmorum commentariis sententiam decerpsit quae antiquitatem vel maxime redolet: «Omnia corporis nostri, quae discepta vel putrefacta vel etiam concremata in quasdam dissolvuntur favillas, Deo perire non possunt. In illa enim elementa mundi eunt unde sumpta sunt illa manu quae tenet omnia»[1].

Hoc circiter tempus, 461-469, scripsit «De viris illustribus» auctor non ignobilis *Gennadius* «Massiliae presbyter». Quidquid est de ejus mente[2], utique tum quosdam semipelagianismo imbutos satis copiose, tum Augustinum aliosque semipelagianismo adversarios satis exiliter laudat atque jejune. Et tamen notatione dignum est de tribus disserentem rebus Augustinum a Gennadio sigillatim proprieque laudari, nimirum de Trinitate, de Incarnatione et tertio loco de resurrectione mortuorum his verbis: «De resurrectione etiam mortuorum simili cucurrit sinceritate»[3]; addit tamen vir parum Augustini studiosus: «licet minus capacibus dubitationem de abortivis

1. *Sent. l. unus,* CCXVI; ML. 51, 457. — Locus Augustini hic est: «Omnia, quae discerpuntur et in favillas quasdam putrescunt, integra Deo sunt. In illa enim elementa mundi eunt, unde primo venerunt quando facti sumus... etc.». *In Psalm.* LXII, n. 6; ML. 36. 751.

2. Cfr. *De eccl. dogm.* cp. XXI. Quae deinceps sequuntur usque ad cp. LI inculcata sunt postea.

3. *De script. eccl.* XXXVIII; ML. 58, 1080.

fecerit». Frigidum sed non parvi momenti de Augustini incorrupta mente in nostra quaestione testimonium; quod etiam proprium Gennadii sensum aperit. Doctor nempe accuratissimus et in tractandis de Trinitate et Incarnatione mysteriis tum acumine ingenii tum prudentia praeclarissimus *simili* dicitur *cucurrisse sinceritate* in resurrectione mortuorum, cujus est caput identitas corporis mortalis ac resurgentis. Num ab eo, qui est paene adversarius, simile testimonium futurum fuisse putamus, si S. Augustinus per formae lineamentorumve identitatem quaestionem explicare voluisset?

Solemne et quasi sacrum, itemque aptissimum esset auream Sanctorum Patrum aetatem, *S. Leonis Magni* († 464) testimonio et auctoritate concludere. Verum excelsus hic Pontifex, in alias intentus quaestiones, nostram nihil admodum explanavit; et solum, quum de Christi resurrectione agit, quaedam ratione connexi de omnium nostrum resurrectione indicavit; quae tamen, ut sacrae reliquiae, magna sunt veneratione colligenda. Sic itaque quodam loco: «Dicant ergo isti phantasmatici christiani quae substantia Salvatoris affixa sit ligno, quae jacuerit in sepulcro et revoluto monumenti lapide quae tertia die caro resurrexerit...» Deinde paucis interjectis addit: «et pie creditur hoc quod est in capite inchoatum, in membris quoque esse complendum»[1]. Itidem in alia concione: «Resurrectio enim Domini non finis carnis, sed commutatio fuit, nec virtutis augmento consumpta substantia est.

1. *Serm.* LXV, cp. IV; ML. 54, 383.

Qualitas transiit, non natura defecit...» Et paulo post: «Nihil in ea (carne Christi) passibile, nihil remansit infirmum ut et ipsa sit per essentiam et non sit ipsa per gloriam»[1]. Quibus positis, adjungit: «Ex hoc... initium nobis factum est resurrectionis in Christo, ex quo in eo qui pro omnibus mortuus est, *totius spei nostrae forma praecessit*[2]». Non satis clara sunt ista. Videmus tamen S. Leonem proprie diligenterque notantem Christi resurrectionem resurrectionis nostrae formam esse et exemplum. In resurrectione vero Christi, eadem omnino caro excitata est quae jacuerat in sepulcro. Alium praeterea locum audiamus. Loquitur S. Leo M. in verbis proxime superioribus de Beati Petri numine et auxilio; post quae addit: «Si autem hanc pietatis suae curam omni populo Dei, sicut credendum est, ubique praetendit, quanto magis nobis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos *in sacro beatae dormitionis toro eadem qua praesedit carne requiescit?*»[3]. Insignia sunt haec verba. Quid dormit, quid in sacro dormitionis toro requiescit, nisi venerandae mortui corporis reliquiae? Imo vero adjungit S. Leo, istarum reliquiarum causa Beatus Petrus Romae requiescit *eadem qua praesedit carne.* Quod si eadem carne, nonne haec ipsa caro resurget? Quid diceret proinde excelsus ille vir et vere, si quis umquam, magnus, quid responderet si de Beato Petro, si de Beato Paulo, si de

1. *Serm.* LXXI, cp. IV; l. c. 388.
2. *Ibid.* Cfr. *Serm.* LXVI, cp. III; l. c. 360.
3. *Serm.* IV, cp. IV; l. c. 152.

aliis diceret quispiam nihil tanti nobis esse vel potius nihili nobis esse faciendum mortuorum corporum *dormientes* et *requiescentes* reliquias suscitari ad hoc ut hi omnes secundum traditionem ecclesiasticam veramque sapientiam iisdem corporibus resurgant?

S. Petrus Chrysologus († 450), universae Ecclesiae Doctor, qui S. Leonis, quem summe colebat, temporibus Ravennatensem Ecclesiam rexit, ideoque secundus ab illo fuit inter occidentales, ea quae Summus Pontifex solum attingit, jure meritoque tibi brevibus sententiis illustrare videatur. Genere quidem dicendi satis rhetorico usus, distat hic Pater nonnihil ab ingenua S. Leonis, casta eademque nobili majestate. Sic autem disserit in sermone de caeco quem Dominus luto curavit: «Nemo ergo dubitet divino imbre tota arefacta mortalia membra posse reviviscere, cum videat parva Dominici sputi gutta arentes caecitate oculos subito sic suscitatos in lucem: *Exurgent,* inquit Isaias, *mortui et resurgent qui in monumentis sunt et laetabuntur qui sunt in terra*[1].» Similiter in explicatione symboli: «Hoc est totum fidei documentum: si carnem quae corrupta est, quae putrefacta est, quae periit, per Deum resurgere repaginari, redire posse credas, quem posse omnia, quando omnipotentem confessus es, tunc jurasti»[2].

Plura saeculi V, exempla colligi possunt; sed nihil est cur ea proferamus. Etenim, si superioribus temporibus, quibus Origenis scripta ad se vehemen-

1. *Serm.* CLXXVI; ML. 52, 664.
2. *Serm.* LXII; 1, c. 375.

ter invitabant fontesque erant quasi communes et copiosissime effluentes quo universi fere sitienter conveniebant, nullum ei hac in re discipulum totum penitusque adhaesisse reperimus, multo minus talem saeculo V et posthac inveniemus quum sidus Alexandrinum defecisse videtur occidentalibus, in Orientis vero partibus caliginosae circa illud coguntur nubes et vibrare incipiunt fulmina aut tandem quaestio de Origenis in hac re sententia friget dum sensim animorum impetus et intenta cogitatio ad gravissimas de Christo quaestiones disputationesque convertitur.

Extinguitur itaque sensus, quem de resurrectione optabat Origenes, neque vestigium fere relinquit, vigetque in posterum atque regnat ea quae est a primis temporibus recepta atque testata sententia. Quod autem mirum videbitur, si quid alicujus momenti conceditur aut si quae cum Origene congruentia excidunt, sic antehac sicut in posterum, ea potius ad *integritatem* corporis resurgentis pertinent, videlicet, ad paucorum quorumdam exstinctionem membrorum; quae omnes concessiones pars sunt et exemplum traductae ad universum genus quaestionis quam Origenes indicat, quum dicit fore ut corpora gloriosa iis membris careant quorum nullum erit usus futurus[1]. Hoc autem pronuntiatum seu decretum, si iis quae

1. *In Psalm.* I, v. 5; CB. «Methodius» *De resurrectione,* I, cp. 24, ed. Bonwetsch, pg. 248. Verum quatenus apud Origenem hoc decretum in re valeret atque universa quaestio ad exempla traduceretur, difficile est dictu. Certe quidem decretum illud ad rem non deducebat ea amplitudine quam in Origene reprehendunt adversarii. Vide v.gr. *In I Cor.* XV, 23; *Cramer,* Oxford 1841, pg. 295.

supra sunt exposita adjungetur, caput et summa habebitur eorum quae in resurrectione praecipue sentit Origenes[1].

Auream Sanctorum Patrum aetatem attento satis animo lustravimus. Antequam abimus, tum jucunditatis tum confirmandae causa rei, ex poetis, qui id temporis florem poeseos cum pietate aut etiam sanctitate junxerunt, aliqua documenta proferamus.

Et magnum *Prudentii* nomen († p. 404) illico venit in mentem. Est ille quidem maximus inter poetas latinos aequales, nisi quid fortasse multo majus dicere audeamus. Prudentii tamen uberius testimonium in aliud tempus differimus. Nunc in memoriam dumtaxat revocemus robustissimam illam vocem, ut Prudentii fere mos est[2]:

> Credo equidem, neque vana fides
> Corpora vivere more animae....

Corpora autem ea sunt de quibus modo dixerat:

> Post obitum reparare datur,
> Eque suis iterum tumulis
> Prisca renascitur effigies,
> Pulvereo coeunte situ.

1. Est praeterea singularis in Origene satisque obscura illa «ratio quae substantiam continet corporalem», λόγος τις qui ἔγκειται τῷ σώματι, ἀφ' οὗ μὴ φθειρομένου ἐγείρεται τὸ σῶμα ἐν ἀφθαρσίᾳ (K. Κέλ., V, cp. 23). Neque tamen hoc totum momenti esse judicamus, saltem ad identitatem quod attinet et integritatem corporis resurgentis. Res huc deducitur ut nova vis inducatur, quae tum a corpore tum etiam, ut nobis quidem videtur, ab animo differat, et quae resurrectionis tempore corpus antea habitum rursus coagmentabit. — Incredibilis ista opinio, paulum immutata, uni et alteri apologetae ineuntis saec. XIX, quemadmodum videbimus, potuit probari.

2. *Cathemerinon,* III «Ante cibum»; ML 59, 810 sqs.

Corpora quae

... Jussa quiescere sarcophago,
Dux parili redivivus humo
Ignea Christus ad astra vocat.

Jucundum sane erit, si illius viri nobilissimi, qui amore Christi ex opulento factus est pauper, testimonium adducemus: *Pontii Meropii Paulini*. Sanctorum honoribus decoratum veneratur eum et colit Ecclesia, appellaturque ipse a fidelibus *S. Paulinus Nolanus* († 431). Prudentio cedit impetu et elatione mentis, acerrima inveniendi pingendique vi, aestu etiam animi in sublime abripientis; at suavitate eminet, eoque fluit placido cursu animique motu ut legentes dulciter moveat pioque sensu reficiat atque sancta etiam delectatione perfundat.

Tamquam ad rem nostram pertinens, adduci potest integrum carmen XXXI «De obitu Celsi consolatio». Locum ex eo describemus[1]:

... Nullus eram, et faciente Deo sum natus ut essem;
Nunc jam de proprio semine rursus ero.
Nam, licet in tenuem redigantur et ossa favillam,
Corporis integri semina pulvis habet;
Cumque etiam cineres vacuatis terra sepulchris
Cognato immixtos caespite sorbuerit,
Tunc quoque corporeis hominum vanescere visos
Luminibus solidos continet Omnipotens;

1. CV, 30, ed. *Hartel*, pg. 316 sqs.

Inque die magno, quae nunc absumpta putamus
Corpora cernemus surgere tota Deo,
Nulla cui natura perit, quia quidquid ubique est
Omne Creatoris clauditur in gremio.
Quos aqua fluminibus pelagoque et piscibus hausit,
Quos volucres et quos diripuere ferae,
Cunctos terra Deo debet, quia quos aqua mersit
Litore vel fundo strata recepit humus,
Quae, licet una, tamen non uno sumpta sepulchro,
Sparsa locis laceri funeris ossa tegit...
Sed licet e membris in humum transmissa ferinis
Membra hominum vivo semine salva manent,
Et moriente fera, cui forte cadaveris esca
Humani fuerit, dividitur ratio.....
Ergo mei fratres, mea cura, meum cor, in ista
Maerentes animos laetificate fide.
Pellite tristitiam dociles pietate fideli
Fidentesque Deo laetitiam induite.

§ II

Quod est praecipui ad argumentum ex Patribus, superiori paragrapho satis videtur esse comprehensum, quinque priorum saeculorum, quibus aetas Patrum viguit, monumentis adductis. Itaque non multa neque insignia restant quae possimus adjungere. Sed hujus paucitatis alia est praeterea ratio. Quaestio de resurrectione, de qua fuerat hactenus grave perpetuumque certamen, defervet et quasi in secundum locum recedit. Orthodoxorum nulla vox auditur, quae Origenis opinioni cognatum quidpiam vel balbutiendo

propugnet. Patres ac theologi posteriores, ex oriente praesertim, nimio plus distinentur non solum in errorum antiquorum fibris stirpitus evellendis, sed multo etiam magis in novis acerrimisque expugnandis haeresibus: Nestorianismo, Monophysismo, Monotelismo, ut animum attendere possint ad eam quaestionem cujus vis atque tempus abierat. Interpositae sententiae, satis expressae et illustres, quibus strictim attingitur argumentum, et quae sua sponte exsistunt dum explicatur dogma aut locus quidam exponitur, non paucae colligi possunt. At vero acres et agentes disputationes rarissimae sunt; non desunt tamen lecta quaedam multaeque vis ac significationis exempla. Ampli etiam commentarii atque dedita opera elaborati non reperiuntur nisi in paucissimis quibusdam scriptis quae tamen eorum, quae multo post *Sententiarii, Summae theologicae,* aut *Quaestiones quodlibetales* appellari consueverunt, inchoatio digna sunt atque adumbratio.

Neque vero quidquam commemorare possumus quod, cum re nostra connexum, eidem queat afferre lucem. Philoponus quidem, haereticus tritheista, qui primo medio saeculo VI floruit, librum Περὶ ἀναστάσεως conscripsit in quo, ut Photius refert, «multa inconsiderate jactat, SS. etiam Patrum auctoritatem risu insectari ausus» [1]. At Philoponus, interpretandi Aristotelis peritus magis quam explanandorum dogmatum, ultra quam ipse Origenes, progressus est, ut conjicere licet ex iis paucis locis quos Timotheus, Constanti-

1. Cod. XXI; MG 103, 57.

nopoleos presbyter ac scevophylax, posteris tradidit. Itaque Philoponus corporis mortalis et corporis resurgentis identitatem omnino negat, siquidem de illius sententia materia, ex qua resurgens corpus constabit, nova quaedam erit et aliae prorsus naturae, quae a Deo creabitur quum, universitatem novam efficere moliens, eam quam nunc cernimus interire faciet. Tunc hominum corpora erunt alia, nimirum indissolubilia et aeterna[1]. Philopono multi ex ejus etiam asseclis tritheistae repugnarunt[2], ejusque doctrinae vestigium fere nullum remansit. Catholici autem librum Διαιτητὴς non parum insectati sunt. Contra, liber de resurrectione nihil admodum catholicos permovit nec cogitationem eis injecit cujusdam resurrectionis, quae solius identitate formae constitueretur.

Altero medio saeculo VI habita est a S. Gregorio Magno disputatio illa de corpore resurgente cum Eutychio, Patriarcha Constantinopolitano, quem graeci venerantur ut Sanctum. Neque celebre hoc exemplum aptum est ad nostrae quaestioni lucem afferendam. Etenim ex S. Gregorii narratione[3] Eutychii

1. *De receptione haereticorum;* MG 86, I, 61.
2. Ibid.; col. 64. — Apud Focium, cod. XXIII; MG 103, 60.
3. *Moralium* l. XIV; ML 75, 1077-1079. — S. Gregorii verba si attente leguntur, vel ea sola faciunt ut suspicemur nihil aliud ab Eutychio defendi nisi corpus gloriosum futurum esse, ut dicitur, *impalpabile*. Verum est arguentem Eutychium adversus S. Gregorium, quemadmodum hic refert, concludere sic: «Quum scriptum sit: *Caro et Sanguis regnum Dei possidere non possunt* (I Cor. XV, 50), qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem?» (col. 1078); atque hanc esse Eutychii enuntiationem pejus sonantem fatemur. Tamen, quod diligenter est animadvertendum, simul atque S. Gregorius distinguit «carnem juxta naturam» a «carne juxta culpam», *statim* respondet Eutychius sibi quidem hanc dis-

mens non satis exprimitur. Quod si ad graecos auctores, etsi parti faventes [1] attendemus, sapienterque aestimabimus tritas eo etiam tempore loquendi formulas vel apud ipsos spectatae orthodoxiae auctores[2], probabili sane conjectura ducemur ad suspicandum Eutychii errorem, aut quidquid est, in re minoris momenti versari, atque vix esse aliud nisi explicationem falsam illius, quae *subtilitatis* dos appellatur, corporum propria quae caelesti jam decorata sunt gloria. Allatis exemplis, aliquanto uberius ista declaremus, ab Occidentis auctoribus ducto expositionis exordio.

tinctionem probari: «quibus dictis idem Eutychius consentire se *protinus* dixit»; existimare se tamen resurgens corpus nequaquam esse posse *palpabile*. Quare illud, quod Eutychius urgebat, eo contineri videtur quod corpus resurgens *palpabile* non erit. Hoc posito, Eutychii effata, quae male videntur sonare, ita demum intelligi possunt: Quum *carnis* nomine aliquid solidum atque palpabile intelligatur, *hac verbi notione* corpus resurgens minime erit caro.

1. Legatur Eutychii vita ab aequali fidelissimoque exsilii etiam socio, Eustratio composita (c. IX; MG 86, II, 2373, 2376). Exstant ibi quaedam prudenti judicio excipienda, quippe quae dolore et acerbitate animi redundant adversus eos qui de recta Eutychii mente, ad resurrectionem quod attinet, dubitaverunt. At est amicus, socius, «humilis discipulus» qui ita pro magistro loquitur.

2. Amicissimus S. Gregorii M. S. Anastasius Antiochenus his verbis de resurgente Christi corpore loquitur: «... corpus vere mansit, *caro* vero *minime;* non quidem quod substantia subjecta interierit, sed quod facta fuerit gloriosior» (*De resurrect. Christi,* n. VII; MG 89, 1359). Paulo post, quum Christi corporis qualitates explicat, id dicit esse «nube levius» etc. Similis loquendi ratio quum ab aliis multis adhibetur tum ab altero Anastasio, viro celeberrimo, qui «Sinaita» appellatur (*Viae Dux;* MG 89, 73). Quin imo cautus ipse S. Isidorus Pelusiota haec habet: «Quid igitur incredibile dicimus, cum corpus hoc, quod nunc maxima ex parte terrae particeps est, cum attenuatur *aethereum* ac *spirituale* fieri affirmamus?» (II, 43; MG 78, 486). Et alio loco: «Spiritualia futura esse in resurrectione corpora, duabus his de causis a divino Paulo dictum est; altera, quia *levia* et *aetherea,* atque ab omni perpessione et gravitate libera futura sunt: altera... etc.» (III, 77; col. 786).

Scriptores ex Occidente

Occidentis universitas de S. Augustino vivit. Ejus doctrina sive per ipsos Augustini libros excepta, sive potius per decerpta testimonia, compilationes atque summa rerum capita, dici bene potest quotidianus cibus fidelium atque pastorum. Quare vix quidquam novi deinceps occurrit de resurrectione, neque aliae de eadem notari possunt quaestiones atque illae quarum, ut omnium fere quas umquam attigit, initia saltem pepulit aut quas penitus investigavit excelsus ille Pater, «Doctorum Aquila» nuncupatus. Ipsa etiam ceterorum auctorum explicandi scribendique ratio ad extremas africanae regionis oras fontem, unde manat, ostendit. Ergo constet necesse est occidentis Patres scriptoresque, omnes ad unum, non aliam carnis resurrectionem intelligere nisi eam, qua eadem materia, animata primum ab animo humano ac deinde per elementorum universitatem huc et illuc commeans, a Deo praepotenti et omnia intuenti rursus colligetur animoque, juncta et coagmentata, reddetur.

Saeculo VI

Demonstrabit id illustri brevitate magnus S. Augustini discipulus, *S. Fulgentius Ruspensis* († 533), cui concessa copia videtur breviter dilucideque adstringendi quae magister dilatat et subtilissime mirabili quodam ingenio disputat: «Igitur quaecumque corpora aut ignis consumpsit, aut bestia devoravit, aut aqua

absorbuit, illo momento temporis atque ictu oculi resurgent...»[1].

Iisdem temporibus, ineunte saeculo VI, celeritate majori late manat Augustini doctrina per *Eugippium* cujusdam monasterii circa Neapolim Abbatem, qui Sancti Doctoris multis ex operibus excerpta collegit. Quum eorum, qui nunc exstant, codicum copia tum aliorum, qui exciderunt, memoria satis sunt argumenti pervulgatum esse celeriter hoc opus, summa S. Augustini doctrinae continens capita[2]. De «Enchiridio». ubi rem copiose versat Augustinus, nihil excerpit Eugippius; at de uberrimo «Civitatis Dei» fonte multa sumit exempla. Memoria dignum est caput 19 libri XXII ab Eugippio penitus omitti; in eo autem specie prima asseri videtur nihil interesse utrum totum ex tota materia fingatur corpus an sua quibusque membris distribute materia reddatur. Fortasse haec, quae primo aspectu videtur dari, responsio Eugippio non probabatur; re quidem vera pluribus, scholasticis praesertim, non placuit qui materiam singulis partibus definite distincteque tribui propugnarunt.

Primo medio saeculo VI, per interpretem *Dionysium Exiguum* († c. 540) sapientem virum, monachum ac natione scythen, Sanctus quidam Pater ab Oriente venit, illaque usus, qua pollet, acerrima ingenii vi, de resurrectione latine disserit, eam fieri posse subtiliter ornateque declarans. Ejus sententiae,

1. *De Trinitate ad Felicem notarium*, c. XIII; ML 65, 508.
2. *Eugippii excerpta ex op. S. Aug.*; CV 9, ed. *Knoell*; cfr. ejusdem auctoris eruditam in opus ingressionem.

ad summam quod attinet rerumque capita, cum Augustino cohaerent, quamvis quaedam altius exaggerata disputandi subtilitas, nonnihil aliquando contorta atque nimium excurrens, ostendere facile possit auctoris originem, qui alius non est nisi S. Gregorius Nyssenus. Voluminis «De hominis opificio» tribus capitibus, quae in Dionysii interpretatione sunt 26, 27, 28, expendit S. Doctor et discutit quae sunt de carnis resurrectione praecipua. Verum de S. Gregorio Nysseno aliquid jam supra diximus. Unum tantum describamus locum, quoniam antea nullum proprie iisdemque verbis auctoris adduximus: «Sed sunt quidam qui humanarum cogitationum defectu, ad mensuram nostram divinam potentiam judicantes, quod ipsi capere nequeunt nec Deo esse possibile confirmant. Ostendunt enim nobis antiquorum reliquias mortuorum prorsus absumptas, et quas ignis redegit in cineres, et super haec bestias quae vescuntur carnibus, huic rationi admovere monstrantur, et piscem qui carnem hominis naufragio pereuntis in suum trajicit corpus, et hunc rursus effectum hominis escam atque in comedentis quantitatem per digestionem esse conversum, multaque alia nimis inepta et magnae Dei virtuti atque magnificentiae prorsus indigna ad eversionem veri dogmatis proferunt; tamquam non possit Deus per haec eadem rursus ex consummatione quod est proprium hominis reformare. Sed nos in brevi prolixos vanissimae rationis eorum succidamus excursus, confitentes resolutiones corporis in ea fieri pro [ex] quibus constat, nec solum terram, juxta divini sermonis auctoritatem, in terram reverti, sed et aerem

atque humorem suae simillimae portioni restitui, et singula quae in nobis sunt, ad originemque propriam commigrare.» Quae pergit dicere, redolent vel maxime Traditionem: «Et licet volucribus carne vescentibus, licet feris carne vescentibus humanum corpus tradatur in cibum eisdemque his casibus misceatur, licet sub dentibus piscium veniat et per ignem in vapores convertatur et pulverem, ubicumque juxta subjectam rationem quis circumtulerit hominem, intra hunc mundum eum esse necesse sit, quem Dei manu contineri vox instruit divinitus inspirata cum dicit — quia in manu ejus sunt omnes fines terrae. Quod si tu non potes ignorare quae tuo palmo contineas, opinaris scientiam Dei, quae est tua virtute superior, eorum quae virtute divina manu continentur id quod certum est minime perscrutari?» [1].

Saeculi VI altera media pars potest integra praeteriri, nullo auctore nominato, nisi quod singulare quiddam et memorabile accidit, de quo mox dicendum erit. Omnium doctissimus *Cassiodorus* († c. 570) videtur; Cassiodorus autem nihil habet aliud nisi verba quae de genere tantum quaestionis agunt [2]. Praeterea certum non est Pseudo-Primasium his temporibus floruisse, imo ne toto quidem saeculo VI; et, quamvis ita esset, ignotus hic Epistolarum S. Pauli explanator breviter solum hanc quaestionem attingit [3].

1. ML 67, 393; cfr. 389-397. In patrologia graeca (MG 44, 214 sqs.) accuratius fortasse graecum in latinum conversum est.
2. Cfr. exemp. c. *Institut. divin. et saecul. lect.* l. I, c. VI; ML 70, 1118. *Complexiones in Ep. Apost.*, I ad Cor., c. XV, vv. 21-39; ML 70, 1338.
3. *In Ep. ad Hebr.*, et *In I ad Cor.;* ML 68, 551. 766. 767.

Contra vero, ubi minus exspectes, ecce tibi locus singulari modo animum percutiens, in quo de resurrectione disputatio explicatur acris et agens et ad veritatem quam maxime expressa, quae praeterea ostendit hinc illincque novos semper exsistere sadducaeos novosque platonicos eadem fere arma capientes adversus hoc dogma gravissimum. Ea, qua solet, ingenua integritate et aperto simplicique animo, Historiae Francorum in libro X[1], rem enarrat *S. Gregorius Turonensis* († 594). Ipse causam agit et adversus presbyteri cujusdam dubitationes et impia sophismata veritatem resurrectionis tuetur. Ergo, quum S. Gregorius Scripturae Traditionisque argumentis dogma propugnasset, respondet ei clericus rem incertam manere; siquidem, postea quam Deus hominem in pulverem dissipandum esse decrevit, nequaquam illi resurrectionem promisit. Instat S. Gregorius aitque sibi omnino videri catholicorum neminem ignorare de resurrectione quid Dominus Noster dixerit, quid Patres judicarint. Hoc loco multa Veteris Testamenti tum dicta tum facta congerit Sanctus. Concedens si agitur de Christo, negans si de ceteris quos a Christo plane sejungit, ad argumenta e ratione petita confugit clericus. Legentibus haec gratum fore confidimus, si eorum quae postea narrantur nonnulla describimus, ne rudi quidem scribendi ratione mutata: «Et presbiter ait: «Numquid possunt ossa in favilla redacta iterum animari et hominem viventem proferre?» Et ego respondi: «Nos credimus, quia, quamlibet in

1. MGh, *Script. rer. Merov.*, t. I. pp. 419-423.

pulvere redigatur homo et aquis ac terrae venti violenti impetu dispergatur, non sit difficile Deo haec ad vitam resuscitari». Presbiter respondit: «Hic maxime vos errare puto, ut adserere verbis lenibus timptetis acerrimam seductionem, ut dicatis, a bestiis raptum, aquis inmersum, piscium faucibus devoratum... aut aquis labentibus deiectum, aut terra conputriscente abolitum, ad resurrectione venturum». Ad haec ego respondi: «Oblivione apud te traditum est, ut opinor, quid Johannis evangelista... in Apocalipsim dicat: *Tunc,* inquid, *reddit mare mortuos suos.* Unde manifestum est, quia, quidquid humani corporis piscis absorbuit, alis rapuit, bestia degluttivit, a Domino conjunctum in resurrectionem reparandum erit, quia non erit ei difficile perdita reparare, qui ex nihilo non nata creavit...» His adjunguntur e Novo Testamento duo vel tria testimonia perspicua. Sed nondum de errore dejectus presbyter, quaedam vicissim S. Gregorio testimonia objicit, aliud ex alio, quibus hic respondere pergit. Loci iidem fere sunt atque ii qui nunc etiam disputationis causa in scholis afferuntur. Tandem studet S. Gregorius probationes certas apud S. Paulum quae rem conficiant quaerere; plura ex eo depromit, et excandescens adversus perpugnacem atque superbum clericum fundit gravem sane responsionem plenamque spiritus cohortationem. Cujus quum S. Gregorius finem fecisset, «contristatus presbiter, a conspectu nostro discedens, pollicitus est credere in resurrectionem iuxta seriem Scripturarum sanctarum, quam supra memoravimus».

Aliam disputationem, etsi a propriis personis ma-

gis remotam, veritatis tamen atque vitae plenam, his fere temporibus et profecto Romae in ipsa urbe invenimus. Haec audire nos faciet virum qui eo tempore unus eminet inter omnes, saeclorumque VI et VII quasi cor et animus exsistit.

Saeculo VII

Itaque tempus est animum converti parumper ad eum Sanctum Patrem quem illo tempore maximum ostendit historia, quem fortasse unum cum magnis saeculorum IV et V Doctoribus conferre possis, *S. Gregorium Magnum*. Fecundus, quem gessit, pontificatus saeculo VI obeunte (590) ducit exordium atque VII etiam ineunte (604) viget. Augustini doctrina plane imbutus, illam exponit ea parte ac ratione quae est magis plana et quasi popularis, idque praeterea efficit tranquilla quadam securitate perfectaque moderatione, eo usus genere loquendi quod, etsi est horridius, tamen proprie res notat et perfacile copioseque labitur: diceres incorruptum atque uberem fontem qui tamen sine ullis salebris placide sedateque fertur.

Quemadmodum erat exspectandum, S. Gregorius resurrectionis quaestionem satis ample versat, quum celebre testimonium Job «In novissimo die de terra surrecturus sum» explanat[1]. Satis est integrum locum legere ut quae sit nostri mens sensusque Doctoris, emineat. Ibi narrat Sanctus suam cum Eutychio dis-

1. *Moralium* l. XIV; ML 75, 1075 sqs.

putationem, de qua nonnihil modo diximus. Verum notatione maxime dignus est locus quidam ex homilia VIII, l. II, in Ezechielem, quippe qui exemplum suppeditat agentis et novae disputationis de nostra quaestione[1]. Tota haec disputatio continetur longa quadam degressione quam Sanctus Gregorius interpretationi Ezechielis inculcat, ut eos, qui etiam tunc de resurrectione dubitabant, refellat. Atque ita nascitur exordium: «Sed quia de carnis resurrectione nobis sermo se intulit, triste nimis et valde lugubre est quod quosdam in Ecclesia stare et de carnis resurrectione dubitare cognoscimus». Adjunguntur statim pro resurrectione varia Scripturarum testimonia. Deinde quod argumentum patristicum nunc appellamus, his verbis a Sancto Doctore indicatur: «Ecce veteres ac novi Patres uno sibi spiritu de carnis resurrectione concordant». Postea, tamquam novum argumentum, quod tamen initio jam attigerat, Christi resurrectionis inducit exemplum. Denique ad extremum adversaria evertit. Ecquaenam tandem integri hujus loci sententiae sint nisi quas longa jam obsignarat traditio? Exempla, quin imo verba ipsa de antiquitate videntur esse deprompta. Spectaculum naturae, in universis operibus paene sub aspectum subjicientis expressam resurrectionis imaginem; semen in proceram arborem aut abjecta materies in admirabilem humani corporis fabricam conversa: haec omnia in memoriam jucunde revocant S. Clementem Romanum, S. Justinum, Minucium Felicem, Tertullianum... Nihil est cur multa

1. ML 76, 1030-1034.

subtiliter persequamur. Ex iis autem, quae ad tertio objecta respondet S. Gregorius, pauca dumtaxat exempli causa adhibeamus; ea vero notum quiddam et antiquitatis plenum sonabunt: «Saepe autem objicere inanem quaestiunculam solent, qua dicunt: Carnem hominis lupus comedit, lupum leo devoravit, leo moriens ad pulverem rediit; cum pulvis ille suscitatur, quomodo caro hominis a lupi et leonis carne dividitur?» In responsione autem, postea quam admirabilem hominis fabricam ideo explicuit ut admirationem aliam quasi alia majore removeret, exclamat: «...quid mirum si possit omnipotens Deus in illa resurrectione mortuorum carnem hominis distinguere a carne bestiarum, ut unus idemque pulvis et non resurgat in quantum pulvis lupi et leonis est, et tamen resurgat in quantum pulvis est hominis?...»

Res gravissima nunc occurrit, dignissima quae notetur. Adducto S. Gregorio M., ecce protulimus jam quatuor Occidentis Ecclesiae Doctores *maximos:* S. Ambrosium, S. Hieronymum, S. Augustinum et S. Gregorium Magnum. Omnes hi quatuor de identitate corporis resurgentis quaestionem dedita opera copioseque pertractant; eorum saltem duo, S. Ambrosius et S. Hieronymus, noverant Origenis scripta ex iisque copiosissime hauriebant. Nihilominus, omnes ad unum, eas constantissime tradunt explicationes quae sine identitate materiae ne intelligi quidem possunt.

A S. Gregorio animus et cogitatio suopte nutu et pondere in patriam nostram feruntur. Nulla est eo tempore natio, etiamsi totum lustraveris Occidentem,

exculta magis quam Hispania; omnemque hunc cultum ab Ecclesia progredi fundique planum est. Noli tamen nova exspectare multoque minus in hac quaestione, admirabili Augustini ingenio diligentissime excussa, quam solum multo posterius nobilissimi scholastici in quibusdam minoris momenti illustrabunt et absolvent. Majores nostri animos attendunt in primis ad eas pie conquirendas sententias quas superiora saecula tamquam patrimonium posteris tradiderunt, ad eas porro in summa capita illustri brevitate redigendas sapienterque ordinandas, ut, quidquid antiquitas scientiae ac pietatis effudit, fingant totum et accommodent ad earum nationum judicium popularemque intelligentiam quae, temporum causa hominumque fere barbarorum vel etiam barbarorum, e quibus constabant, otio, securitate, pace destitutae erant; quibus omnibus ad tranquilla scientiarum studia opus est maxime. Et tamen, vel propter hoc solum, quantum meritorum sibi pepererunt, quantumque laudis et grati ac memoris animi ipsis a posteritate debetur!

S. Isidorus, vir excellenti praeditus ingenio latissimeque patenti, non modo *Etymologias* scribit, locupletissimum, ut temporibus illis, scientiae thesaurum, sed inchoat etiam *Sententiaria,* quod scribendi genus *aevo medio* longe lateque diffusum est; et quam ipse invenit dispositionem et ordinem, eamdem aetatis mediae magistri sequuntur. Eum imitatur Tajus et aliquanto post, etsi in angustiore se continet argumento, S. Julianus Toletanus qui, data occasione, egregie theologum agit. Quilibet eorum «Magister Sententiarum» jure meritoque poterat nominari.

Ergo, discipuli fidelissimi tum S. Augustini tum S. Gregorii M. Patres nostri quum sint, constat quas illi adprobent tueanturque sententias. Non tamen omnes rem diserte copioseque tractant.

S. Isidorus († 636), cui videtur esse cordi doctrinam omnem ad perbreves redigere formulas, saepenumero scientissime quadratas, nihil hic distincte proprieque scribit, sed contentus est affirmationibus quae solum ad universam spectant resurrectionis quaestionem[1].

Contra, quid sentiat ejus discipulus et laudator, maximumque Caesaraugustanae dioecesis lumen, *S. Braulius* († c. 651) perspicuum est exempli causa ex sua ad Tajum responsione, qui ab eo subtilia quaedam de resurrectione exquisiverat. Satis fuerit haec pauca proferre: «Caeterum de quaestione qua me consulere decrevisti, noveris non me aliud de resurrectione mortuorum credere aut exspectare quam quae a S. Augustino per diversa opuscula sua quae ad manus venerunt meas, prudenti ingenio et eleganti sunt dissertata sermone...»[2].

Non parva calamitate, vix quidquam posteris conservatum est eorum quae scripsit nobilis ille S. Braulii discipulus, *S. Eugenius,* Toleti metropolita († 657); ea vero quae remanent, fere omnia sunt versus, perfaciles sane atque jucundi, fluentes tamen modico mentis afflatu et instinctu. Eum S. Julianus successor

1. *De ecclesiast. offic.*, l. II, c. XXIV, n. 7 — *Quaest. in V. T., in Levit.*, c. XVII etc. etc.; ML 83, 339-340. 819 etc.
2. *Ep.* XLII; ML 80, 687-688.

magna cum laude in hac quaestione commemorat (... *egregii praeceptoris nostri Eugenii* [1]). Verum allata testimonia, etsi accurata omnino, in universi generis quaestione continentur, aut de quibusdam disserunt minoris momenti [2].

Majori amplitudine de resurrectione egerunt *Tajus* († c. 683), *S. Ildephonsus* († 667) et *S. Julianus* († 690), quorum in animos adeo influxit Sanctorum Gregorii et Augustini doctrina ut, nisi rivi a fonte deducti pura liquidaque manantes utriusque Sancti doctrina, nihil paene aliud esse videantur. Tajus, S. Braulii successor, summam facit sententiarum S. Gregorii; quod autem huic deest, ex S. Augustino sumit [3]. S. Ildephonsus ex variis Augustini operibus selecta libat; idem fere S. Julianus facit, qui praeterea satis crebro adducit S. Hieronymum, S. Gregorium M., Julianum Pomerium et, qui Toletano episcopatu ei antecessit, S. Eugenium. Egregius hic Episcopus, S. Julianus, qui, quotiescumque vult, tanto ingenio tantaque mentis vi rem theologicam tractare potest, quemadmodum quum alia nonnulla tum *Apologeticum* perspicue ostendit, in hac tamen quaestione nihil aliud facit nisi ipsa majorum verba profert reverentia summa. Pluribus afferendis testimoniis supersedebimus. Eorum loco S. Augustini libros, e

1. *Prognost.* l. III, c. XVIII; ML 96, 504.
2. L. c.; praeterea cc. XXIV, XXVI; ML 96, 507-509. Videri etiam potest Dracontii poema eo modo quo a Sancto compositum est.
3. Ipse Tajus hoc fatetur in ep. ad Quiricum, Episcopum Barcinonensem, quae est quasi *Praefat. in libros Sent.;* ML 80, 729. Cfr. l. V, c. XXIX; col. 983-985.

quibus praecipue S. Ildephonsus et S. Julianus hauriunt, distinctius enumerabimus. *Enchiridion* uterque adhibet. Verum S. Ildephonsus minuta, quae de monstris, de hominibus imperfectis &. &. subtiliter describit S. Augustinus, omnia fere omittit; non ita S. Julianus qui S. Augustinum pedetentim fere sequitur. Idem S. Julianus tum *Enchiridion* tum etiam libros *De Civitate Dei* saepe adhibet, quos S. Ildephonsus, ut videtur, non possidebat. Contra, hic *De fide et symbolo* excerpit; at ratio ipsa et modus, quo id facit, prudens ejus judicium reique scientiam ostendunt. Etenim, quamvis adducti ab eo loci proximi sint longae satis expositioni quae S. Augustini sententias continet primo aspectu minus accuratas et quae plus Origenem redolent, eam tamen expositionem S. Ildephonsus totam nullaque mentione facta relinquit[1].

Ergo Hispanorum ecclesia per doctores suos praeclarissimos resurrectionis sententiam, traditione acceptam et e duobus magnis catholicae Ecclesiae Doctoribus S. Gregorio M. et S. Augustino praecipue manantem, sua auctoritate obsignat atque testatur.

Scriptores ex Oriente

Ab Occidente si ad Orientem accedemus, majorem scriptorum copiam non reperiemus. Atque illud etiam animadvertamus necesse est nullum jam reperiri vestigium eorum quae excogitaverat Origenes, cujus

1. Ex S. Ildephonso, vide *De cognit. bapt.*, cc. 83-88; ML 96, 141 sqs. — Ex S. Juliano, *Prognost.* l. III, cc. 14, 32; ML 96, 503 sqs.

nomen, quum antea tam venerandum atque sanctum fuisset, raro nunc profertur nisi conviciis et maledictis lacessitum et quasi verberatum. Ad rem propius accedamus.

Saeculis VI et VII

Omisso interim S. Joanne Damasceno qui saeculo VIII floruit, tria Orientis Ecclesiae praeclarissima lumina statim occurrunt: *Leontius Byzantinus,* qui primo medio s. VI floruit; *S. Sophronius,* qui ineunte s. VII; et *S. Maximus,* fortissimus fidei athleta, qui pro fide, s. VII inclinato, gloriosissime occubuit. Tamen hi tres egregii viri omnem animi attentionem, cogitationem, vigilantiam in magnis illis quaestionibus christologicis quae eo tempore Orientis partes vehementer commovebant, perpetuo fere habent fixam et locatam. Nihil itaque mirum quod in eorum scriptis solum ex intervallo praecisae quaedam aut expressae parum sententiae quasi de improviso incidant.

Sic verbi causa contingit in Leontii opusculo quodam, ubi hic auctor ea qua solet vi et ingenii acumine Severi monophysitae argumenta dissolvit; de improviso quidem ac breviter sed clare satis Leontii mens ostenditur quum, ad eorum quae tractat confirmationem, universorum resurrectionem mortuorum adducit. Videlicet, quod sibi praecipue investigandum proposuerat, explanat theologus byzantinus *modum* quo Verbum cum Humanitate jungitur. Sententias tres exponit quae ab ipso vocantur διαιρετική, συγχυτική

καὶ ἡ κυρίως ἑνωτικὴ λεγομένη;[1] deinde implicitum argumentum refellens, explanat qui fieri possit ut tum de perfectis tum de imperfectis unum semper atque idem effici queat. Continuo eorum adducit exemplum qui cum Christo simul resurrexerunt; postea, notat universorum resurrectionem in qua idem erit compactum et coagmentatum (τὴν αὐτὴν... σύστασιν), quidquid est de partium dissipatione quae ad id efficiendum conveniant; «corporum enim quae jam soluta et corrupta sunt, eorum qui nuper vixerunt, vel recenter mortui sunt imperfectorum et perfectorum eamdem ex resurrectione concretionem faciendam esse credimus»[2].

In universo genere versantur perbreves sententiae quas in splendida fidei confessione ad Sergium missa *S. Sophronius* habet: scilicet fore «istius carnis resurrectionem» seu «istorum corporum quibus nunc sumus amicti»[3]. Aliquid magis proprium affert contio quaedam de Sanctis Angelis cujus exemplar haud scimus an sit hactenus editum. Tota contio ex precibus ad novem choros angelicos constat. Post Principatus, longas ad S. Michaelem preces adhibet, e quibus ista decerpimus: «O ter sanctissime... quique ingenti illa horrendaque... tuba olim personiturus es, cujus quidem terribili clangore, qui a saeculo mortui

1. «... dividens, *confundens*, et quae proprie dicitur uniens» *Adversus argum. Severi;* MG 86, II, 1939. Membrum illud *confundens* omissum est apud Migne.

2. L. c., col. 1941. Praeterea, saltem bis vel ter, indicat ut antea jam S. Irenaeus, in nos a Sacra Eucharistia δύναμιν ἐνεργητικὴν infundi quae corpora nostra exsuscitat, atque ut vivant facit. *Adv. Nest.* l. V, cc. III, XXII; MG 86, I, 1728, 1744 - 1745.

3. MG 87, III, 3181.

fuerant, ex abditis terrae receptaculis resurgent... Quando ergo... mare et flumina et infernus, impendentium malorum formidine metuque concussa, quos detinebant mortuos emittent...» [1]. Consequunturque alia quae sunt generis ejusdem.

Ad S. Sophronii exemplum, *S. Maximus* universi orbis exitus insigni sermone describit: «Memineri-mus extremae mundi universi consummationis qua ingenti immensoque incendio quidquid usquam illius est, conflagrabit, cum... mare disparebit, terra mugiet, exque imo concussa sinu ac penetralibus, infinitas humanorum corporum myriades, integra eorum mole reddet» [2]; vel, ut simili loco dicit, «tuba divino jussu, simul ac repente, quasi a somno quodam, innumeras a morte suscitabit humanorum corporum myriadas» [3]. Sed est illustrior locus qui pro multis esse potest. Commentariorum in Pseudo-Areopagitam in ea parte, quae pulchro animumque pie moventi capiti de mortuorum exsequiis [4] respondet, breviter attingit S. Maximus resurrectionis locum; ut autem lectorem doceat quid sentiat Origenes, quo etiam modo idem refellatur, lectorem revocat ad id quod adversus Origenem S. Methodius et Antipater Bostrensis scriptum reliquerunt. S. Methodium novimus jam inimicum Origenis strenuumque defensorem iden-

1. L. c., col. 3317, 3318, 3320.
2. *Ep.* XLIII *ad Joan. Cubic.;* MG 91, 641. Haec epistola, paucis exceptis, eadem est atque epistola XXIV *ad Constantin. Sacel.;* l. c., col. 612. In hac omissum est, ut videtur, ex incuria participium σειομένης.
3. *Ep.* I *ad Praef. Afric. Georg.;* l. c., col. 389.
4. Videlicet capiti VII *De Eccl. Hier.;* MG 3, 552 sqs. — S. Maximi locus videri potest in MG 4, 176.

titatis materiae. Antipater vero Bostrensis, annum circiter 460, quamdam Apologiae S. Pamphili refutationem, quae saeculo V plurimi facta est, elaboravit[1].

Exegetas hujus temporis compilationum potius vel etiam *Catenarum* tantum auctores, nihil est quamobrem citemus. Eminent *Procopius Gazaeus,* annum circiter 528; ad annum autem 530 *Andreas Caesariensis,* auctor commentariorum in Apocalypsim, inter graecos, qui exstant, antiquitate praestantium. Uterque materiae identitatem perspicue affirmat[2].

Quod si nunc reliquorum opera lustraremus, in omnibus, excepto uno aut altero, jejunitatem magnam, quod ad nostram quaestionem attinet, experiremur. Neque tamen deessent, longis intervallis, agentes quaedam et venustae aut etiam poeticae, quales graecis solent placere, sententiae, quae laboris in conquirendo consumpti levationem afferrent.

Antiochi monachi in *Pandectis,* circiter 620 scriptis, acrem et insignem postremorum temporum descriptionem reperires, in eaque similes iis, quas apud S. Maximum vidimus, illuminatas sententias et picta verba: «... diem praestolemur adventus Domini nostri; quo die coeli solventur, terra autem effervescet et

1. Solum mutila quaedam restant. Cfr. *Sacra Parallela* S. Joannis Damasceni; MG 96, 488-505. Ex quibus concludendum videtur Antipatro non tam germanum Origenem quam deformatam ipsius imaginem cognitam esse.

2. Procopii multi sunt loci, etsi breves. Cfr. exempli causa *In Gen.;* MG 87, I, 153, 165, 224-225, 288 — *In III Reg.;* l. c., col. 1164 — *In Is.* l. c., II, 2197, 2224, etc.

Andreae Caes. satis est unum, etsi illustrem, locum indicare: *In Ap.* XX, 13; MG 106, 421.

evomet eos qui a condito primum orbe obdormierint»[1].

Gregorium (c. 593), per exsilii annos S. Anastasii (570-593) Patriarcham Antiochenum, audiremus dicere: «... mortuos, velut tabernaculis, ita loculis repositos coelestem expectare tubam, cujus clangore omnes e monumentis ad judicii tremendum diem sumus evocandi...»; idem autem continuo, sententia usus plena significationis et poeseos, adderet: «Quis vero salutare illud sepulcrum (Salvatoris nostri) respiciens, non jam sepulcra velut *vitae thalamos* adeat?»[2].

Alter *Gregorius* Episcopus Agrigentinus (c. 630) versiculum 5 capitis XII Ecclesiastae «... ibit homo in domum aeternitatis suae» simili ratione nobis explanaret, atque ex eo audiremus hanc domum non esse nisi sepulchrum «in quo (mortuus) excipiatur hospitio, vel potius ubi inhabitet usque ad communem et universalem resurrectionem...»[3].

Neque minus accommodata sunt exempla quae adhibet mercator ille, nauta et tandem monachus *Cosmas Indicopleustes* (fl. c. 548) in celebri opere *Topographia Christiana*. Diversis locis sententiam, quae resurrectionem negat, et quam ipse graecorum sententiam appellat, amplitudine quadam studet funditus evertere. Libris V et VII praecipui loci continentur. In epilogo libri V sic *a fortiori* arguit: «Si quidem Deus cogitationum et cordium universorum hominum

1. «... ἐν ᾗ οἱ οὐρανοὶ λυθήσονται καὶ ἡ γῆ ἀναβράσει τοὺς ἐξ αἰῶνος κεκαθεύδοντας...» MG 89, 1548. Apud Migne ἀναβράσσει legitur; sed aut codicis adhibiti mendum est aut erratum quoddam ed. Migne, in qua tamen haec rara sunt.
2. *Orat. in mulier. unguentif.*; MG 88, 1848.
3. MG 98, 1160.

judex sit, possitque cogitationes singulorum quae a saeculo fuerunt discernere, multo magis poterit singulorum hominum corpora secernere: nam si spiritualia discernere valet, quanto magis corpora? siquidem in consummatione omnem creaturam commovebit a fundamentis, coelum nempe ac terrram et reliqua elementa, quorum singula quae ex humanis corporibus habent, ejus virtute discernente, restituent». Et statim populare hoc simulacrum adjungit: «Sicut cribrum agitans quispiam, quod quaerit inveniet; sic, concussa et agitata universa rerum natura, qui quaeruntur in medio comparebunt» [1]; vel, ut in libro VII scribit, eodem usus simulacro: «In quocumque... elemento reperiatur corpus humanum dissipatum et decoctum, a sexcentis aliis corporibus excussum, in novissimo die propriis animabus omnia perquisita restituet. Ac quemadmodum in cribro, quod exquiritur, medium reperitur; ita et hominum corpora, excussis agitatisque elementis, perquisita in medium adducuntur» [2].

Ex *Georgio Pisida,* qui S. Sophronii fuit aequalis et unus e maximis poetis illorum temporum, fluunt uberrima copia per illius *Hexaemeron* symbola, simulacra, exempla et argumenta pro resurrectione. Avem phoenicem, bombycem, fictam de hirundine narrationem, semen, sperma, sauciorum membrorum renovationem... universa congerit copiosissimus poeta ut dogma catholicum tueatur atque explicet [3]. Unum

1. MG 88, 316.
2. L. c., col. 353.
3. Cfr. versus 1117-1122, 1293 sqs.; MG 92, 1520, 1532 sqs.

dumtaxat de postremis locis describemus: «Nos enim ipsi scimus oportere, ut haec nostra mortalis caro immutetur, quae cum fuerit terrae tradita, seminatur in corruptione, et ex corruptione iterum resurgit incorruptibilis, ut ei placet qui omnia fecit... Sufficit enim ei verbum ut abducatur caro; quippe uno temporis momento terram pervadit, lustrat undas maris, et statim huc illuc sparsa dormientium membra congregat. Quamvis autem crudas hominis carnes discerpserit piscis, et piscator piscem, hunc ursus, et belluam canes, atque canes vultures exederint, et sepulchra vultures: adeo ut unus homo omnem prorsus naturam subierit, in quaslibet fluxarum rerum mutabiles formas distractus, attamen ipse intra suos terminos consistit, a signo, quod ei manus Conditoris impressit, semper dignoscendus. Porro, si quis vilissima sua manu protenta et quinque digitorum explicatis juncturis, hordeum, olyram, milium et triticum et aliud quodcumque leguminum genus simul commistum sumpserit, optime alterum ab altero, si velit, distinguet ac dividet et diversas rerum species conjungere et suum genus suo generi referre facillime noscet. Quodnam igitur adeo lapideum cor erit ut non intelligat quomodo in manu Creatoris posita creatura ad nostram resurrectionem concurrat, et, quemadmodum alter vectigalia undique collecta in unum comportat, ita ipsa hinc inde cadaverum spolia, nervos et arterias, carnes et venas omnesque articulorum juncturas in qualibet parte latentes colligat et cujusvis hominis proprias reliquias contrahat (sunt enim omnia usque ad capillum numerata), atque adeo omnem adnotatam

naturam ad eum, qui ipsius naturae est Dominus, afferat oportune...?»[1].

Pervenimus fere ad calcem argumenti ex Patribus sumpti, quod fortasse inter cetera maximi est ponderis, et multo saltem quam alia exponendum erat accuratius. Duos solum auctores saeculorum VI et VII placet adscribere. Uterque resurgentis corporis identitatem satis copiose tractat: rhetor *Aeneas Gazaeus* († c. 534) et Abbas in monte Sina, ideo *Anastasius Sinaita* appellatus († c. 700), vir venerandus fideique strenuus propugnator.

De immortalitate animi et carnis resurrectione compositus ab Aenea dialogus, cui nomen *Theophrastus,* magni aetate media habitus est. Si aliquot ex eo nunc testimonia adduceremus, easdem, quas adhuc, nobis videremur audire sententias: corpore nimirum in elementa dissipato, haec Dei jussu, ubi ubi sint, rursus collectum iri; nihil referre utrum cadaver maneat integrum an dissolvatur, atque alia multa ejusdem generis variis exemplorum ac similitudinum, quas antiquitas usurpavit, luminibus saepe distincta[2].

Eadem vel etiam majore perspicuitate rem explicat Anastasius Sinaita; qui in explicationis exordio lectorem cohortatur ut Scripturarum verbis simplicem fidem adjungat atque alienam ab omni vana sciendi cupiditate. «Nam si credimus eum omnipotentem

1. L. c., vv. 1442 sqs.; col., 1543 sqs.
2. MG 85, 976 sqs. Ut rectum judicium feratur, id quod Aeneas de resurrectione scribit, integrum legatur necesse est. Si enim solum interrupte legerentur quaedam similitudines, v. gr. similitudo tritici (col. 981, 984), auctoris mens de identitate materiae non satis emineret.

esse qui hominem ex nihilo ad esse eduxit, facilius utique figmentum, quod finxit quodque mors disjecit, refingere et reparare poterit. Si credimus in manu Dei esse fines terrae, prout David canit, quocumque corpus deferatur, imo licet dissolvatur, exuratur, devoretur, semper in manu Dei sunt et aqua et ignis et bestiae, ex quibus educit corpus quod acceperunt, comederunt, devorarunt et submerserunt. Non enim in perditionem abit corpus morti datum; sed licet a mille animalibus aliisve causis consumatur, in quatuor elementa, ex quibus constat, resolvitur,... et in his elementis, velut in deposito quodam, asservatur et custoditur corpus usque ad diem resurrectionis...»[1]. Ad extremum vero, adductis quibusdam antiquis nec usitatis simulacris et exemplis, concludit hoc pacto: «...crede, sola virtute Dei, ex tuo etiam inanimato pulvere et carne animatam resurrectionem fore»[2].

Saeculo VIII

Saeculo VII etiamsi Sanctorum Patrum aetas in Occidente clausa esse censeatur, sitque praeterea

1. *Quaest.*, 92; MG 89, 728. *Quaestiones et responsiones*, ad summam quod attinet, recte attribuuntur Anastasio Sinaitae. Solent dicere quidam nonnullas esse adulterinas. Melius nostro judicio diceretur nonnullis posteriori tempore inculcata esse quaedam, quae ceteroqui facile distinguuntur: exempli causa, aliquod testimonium recentius quam ea sunt quae inducit Anastasius; ut in q. 57, col. 624, cunctis allatis testimoniis aliud adscribitur ex S. Nicephoro Const., qui recentiore satis tempore floruit. Ut mens Anastasii perspici possit, cfr. etiam q. 89, col. 717— *In Hexaem.*, l. VII; MG 89, 939; etc.
2. L. c., col. 729.

magna scriptorum caritas, fieri non potest quin virum celebrem nominemus, universae Ecclesiae Doctorem, cujus ore antiquitas ipsa propriis verbis plerumque loqui videtur: *S. Bedam Venerabilem* († 735). Hujus venerandi auctoris notissima sunt sacerdotibus verba illa, quae in «Communi plurimorum Martyrum» n. III saepe recitantur: «Si persecutores Sanctorum, occisis corporibus, non habent amplius quid contra illos agant; ergo supervacua furunt insania, qui mortua martyrum membra feris avibusque discerpenda projiciunt, vel in auras extenuari, vel in undas solvi, vel per flammas in cinerem faciunt redigi, cum nequaquam omnipotentiae Dei quin ea resuscitando vivificet, obsistere possint»[1]. Idem Doctor paulo post, verbum fere e verbo S. Augustinum describit, quum de iterata junctione materiae disputat. Et Sanctus quidem Beda ita Augustinum intelligere videtur, quasi hic teneret nihil interesse quae quibus membris materia reddatur: «Derident intelligentiam ecclesiasticam in hoc loco qui carnis resurrectionem negant, quasi nos ipsam terrenam materiem quae, discedente anima, fit cadaver, ita reparandam dicamus ut ea quae dilabuntur et in alias atque alias aliarum rerum species formasque vertuntur, quamvis ad corpus redeant unde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes ubi fuerunt redire necesse sit... Sed, quemadmodum si statua cujuslibet solubilis metalli &., &.»[2];

1. *In Luc. ev. expos.* l. IV, c. XII; ML 92, 488. Cfr. Hom. IX, l. I; ML 94, 52-53.
2. *In Luc. ev. expos.* l. c.; col. 488-489.

haec statuae similitudo integra iisdemque verbis ex Augustini Enchiridio, cp. 89, deprompta est.

S. Joannes Damascenus, utpote qui Sanctorum Patrum recentissimus haberi solet († 749-750), totam Patrum aetatem seriemque testimoniorum concludat necesse est; Doctor praeterea universae Ecclesiae quum sit, reticeri nullo modo potest. Itaque caput 27 ex libro IV ejus «Expositionis accuratae fidei orthodoxae»[1] si integrum afferremus, in eo tamquam illustri quadam fidelique summa, descriptam hactenus Traditionis sententiam pluribus Scripturae locis roboratam contineri cerneremus. Satis tamen erit, si proprie ostendemus rationes illas modosque dicendi, Traditionis auctoritate signatos, quibus, cadaver demonstrans, scilicet corpus illud διαρρυὲν, ἀναλυθὲν καὶ ἀποστραφὲν εἰς τὴν γῆν[2], vaticinatur S. Joannes et ejus ore universa Traditio hoc idem cadaver, haec eadem esse dissipata membra resurrectura.

* * *

Patrum testimoniis adductis, et cunctorum argumentorum antequam pondus ac momentum aestimamus, id quod in postrema operis parte perficere conabimur, aliquid ad ea quae dicta sunt, adscribendum esse judicamus.

1. Ingressi sumus Patrum testimonia proferre affirmantes: a) de explicatione, quae eamdem rursus

1. MG 94, 1220 sqs.
2. L. c.; col. 1220, 1225.

cum animo materiam in resurrectione copulari tenet, *inter omnes Patres* convenire; porro b) de dogmatis explicatione agi, in quod Ecclesiae hostes ab hujus exordio acerrime et pugnacissime insultarunt et cui tuendo atque explicando plures Sancti Patres scriptoresque ecclesiastici penitus se totosque tradiderunt.

2. Postea quam novas Origenis explicationes, acuminis et ingenii plenas, exposuimus, animadvertimus: a) hunc praeclarissimum scriptorem, quamvis totius vitae cursu temporibusque consequentibus plurimum auctoritate valuerit et in aliis gravissimis causis viros etiam egregios aut nutare fecerit aut omnino ad se traxerit, tamen in hac resurrectionis causa numquam efficere potuisse ut aliquem reapse discipulum haberet et asseclam; numquam ut, procul amandatis quibusdam minoris momenti, caput illud exstaret, quod est aptissimum ad omnia fere inimicorum adversus resurrectionem nefaria tela facillime depellenda aut retundenda, scilicet eamdem materiam rursus cum animo jungi nequaquam esse necessarium; b) contra vero, Origenem aut minimi putari vel ab ipsis suis laudatoribus, qui hac de re loquuntur quasi in Origenis libris littera nulla de resurrectione inveniretur, aut etiam acerrime mirum in modum impugnari atque damnari.

Quae quum ita sint, ecce nobis explicatio gravissimi dogmatis, quam omnes ad unum Patres scriptoresque ecclesiastici contra nequissimas paganorum easdemque frequentissimas calumnias et sophismata tradiderunt; quae vicissim a viro potentissimi ingenii quasi *in judicium adducta* vehementerque accusata,

nihilominus invicta in omnium mentibus scriptisque perseverat et, omnium tum fidelium tum pastorum plausus excipiens ac per octo priora Ecclesiae catholicae saecula tamquam regina ingrediens, magnificentissime triumphat. Ergo, quaenam tandem rationes illae esse possunt quae paucos scriptores, in primis recentes, in devium quoddam iter, a sancta omnium majorum nostrorum societate seclusum, impulerunt? Id quidem postea videbimus; nunc alias probationes, quibus argumentum expositum firmatur, levissime adumbrabimus.

CAPUT ALTERUM

QUAEDAM ALIA ARGUMENTA BREVITER PERSTRINGUNTUR

§ I. Sacra Scriptura

Sacrae Scripturae interpretationem ab ipsis Patribus potius quam a nobis fieri, lectoribus erit sine ulla dubitatione gratissimum. Itaque hoc uno erimus contenti, si in re nostra, quomodo Patres Scripturam interpretentur, indicabimus. Quorum testimonium, etsi semper veneratione dignum, tamen tum maxime est quum id continet quod est cum dogmate aliqua ratione connexum. Praeterea, ad summam quod attinet, iis quae olim a Patribus proposita jam sunt, nihil fere addunt posteriores interpretes.

Ergo solent Patres, ut suam de resurrectione explicationem stabiliant et roborent, diversos Scripturae Sacrae locos producere, quorum ad identitatem materiae vindicandam vis et significatio aut plana est aut talis esse ipsis videtur. E capite XV epistolae I ad Corinthios, vv. 36-53, principes fere loci depromuntur[1]. Ibi S. Paulus *semen cum cada-*

1. Hunc locum adducunt, ut nonnullorum tantum auctoritates afferamus: S. Irenaeus, *Cont. haer.*, l. V, c. VII, n. 2 (MG 7, 1140, 1141); Tertullianus, *De carnis resurrect.*, c. 52 (CV, 47, ed. *Kroymann*, pp. 107-109); Aphraates, *Demonstrat.* VIII (Patrol. Syr.; ed. *Graffin*, 1894, v. I, col. 363, 366); *Adamantius*, l. V, c. 24 (CB, ed. *van de Sande Bakhuyzen* 1901, p. 226); S. Cyrillus Hier., *Catech.* XVIII, nn. 17, 18 (MG 33, 1038 1039); S. Epiphanius, *Panar., haer.* 64, nn. 68, 69 (MG 41, 1188-1189, 1192); S. Gregorius Nyssenus, *De anim. et resurrect.* (MG 46, 153, 156); S. Joannes Chrysost., *In I Ep. ad Cor.* hom. 41 (MG 61, 355 sqs.); etc. etc.

vere justi viri *confert;* quae quidem comparatio, si plano modo accipitur, ponere de sententia Patrum videtur e mortui hominis materia materiam corporis resurgentis esse rursus adhibendam. Praeterea, quum S. Paulus alterum similitudinis membrum explanat, *de uno eodemque* haec pronuntiat: «Seminatur in ignobilitate, surget in gloria», ita ut idem quod seminatur, idem ipsum resurgat. Atqui quod seminatur, est cadaver. Haec omnia Patribus planissima videntur. Longum est eorum testimonia proprie singillatimque proferre. Sed ne cuncta praetermittamus, unum saltem antiquissimi et illustrissimi Patris exemplum afferamus. Scribit ita S. Irenaeus: «Quid est autem quod ut granum tritici seminatur et putret in terra, nisi corpora quae in terra ponuntur in qua et semina jactantur? Et propter hoc dixit: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Quid enim ignobilius carne mortua? Vel quid iterum gloriosius surgente ea et percipiente incorruptelam? *Seminatur in infirmitate, surget in virtute:* in infirmitate quidem sua, quoniam cum sit terra, in terram vadit; virtute autem Dei, qui eam suscitat a mortuis. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Indubitate docuit quoniam neque de anima neque de spiritu sermo est ei, sed de mortificatis corporibus. Haec sunt enim corpora animalia, id est participantia animae; quam quum amiserint, mortificantur: deinde per Spiritum surgentia, fiunt corpora spiritualia...»[1].

1. L. c. Idem notant vel saltem indicant reliqui Patres, quos supra citavimus. Cfr. v. gr. S. Epiphanium et S. Joannem Chrysostomum.

Plures alii Scripturae loci a Patribus afferuntur: exempli causa, celeberrimum caput 37 Ezechielis; Isaiae quaedam ex capite 26, ut v. 19; ex Daniele caput 12, v. 2; ex Apocalypsi versus 13 capitis 20: «... et dedit mare mortuos qui in eo erant: et mors et infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant...»; ex Evangelio S. Joannis caput 5, vv. 28-30: «Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei et procedent...»; &. &.

§ II. Concilia

Non est nobis propositum ad identitatem materiae defendendam aliquid ex iis Conciliorum formulis exprimere quibus «nos eadem carne, quam nunc gestamus, resurrecturos esse» definitur, quandoquidem per ejusmodi formulas non omnibus causa obtineri videretur[1]. Tridentini tamen locum omnino volumus afferre, quippe qui, nisi ad normam explicationis Patrum, quomodo accipi explanarique recte possit, profecto vix aut plane nullo modo capimus.

Haec sunt Concilii verba gravissima: «Sanctorum quoque martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti..., ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda a fidelibus veneranda esse...»[2]. Ecce Concilii testimonium, iterum atque

1. Quid tamen velint nonnulli ex iis ipsis formulis elicere, declarabimus postea in sect. 3.ª, § II.
2. Denz.-B., n. 985.

iterum id notamus ac premimus, Concilii testimonium quod neutiquam de corporibus vivis loquitur quae format humanus animus, sed de corporibus *mortuis,* quae viva membra Christi templumque Spiritus Sancti *quondam fuerunt.* Haec autem mortua corpora, venerandas «Sanctorum martyrum et aliorum cum Christo viventium» reliquias, ad aeternam vitam suscitanda et gloria esse decoranda Concilium declarat atque testatur. Si eamdem materiam cogi nihil est necesse, sed contra, ut in scholis dicitur, id «de materiali prorsus venit», tunc ex his reliquiis quas ostendit Concilium, quidnam, quaeso, resurget? quid decorabitur gloria? Fortasse nihil omnino; fortasse ad ista corpora rursus effingenda, materies alia sumetur, quam illorum martyrum sanctorumque animus neque formavit neque animavit umquam. Quod si ita est, praeclara sane dilucide planeque dicendi ratio, quam adhibuit Tridentinum! Hanc Tridentini doctrinam Reverendi Parochi debent populo tradere. Ergo experiendo cognoscant; iisdem quibus Concilium, verbis utantur; quid tandem fideles intelligent? Profecto liquet.

Quod si quis responderit, Tridentini verbis nihil aliud probari nisi corpora illa quae fideles venerantur fore ut ex eadem materia constent, de aliis vero nihil esse cur ita fiat: is arbitratu suo distinctionem introduxerit nullo fultam antiquitatis testimonio, et eam quam ideo excogitarit ut auctoritatis gravissimae vim argute et tamquam dialectice effugiat. Verum ne id quidem obtinebit; etenim quod corpora illa suscitanda sunt, exhibetur potius ut aliquid antecedens, aut sal-

tem non ut aliquid consequens fidelium venerationem. Et tandem, quidquid est, perpetuum contra se habebit universae Traditionis firmissimumque testimonium.

§ III. Liturgia

Sacrae Liturgiae argumentum animos invitat atque attrahit. Neque enim parva se offert locorum copia, quibus, quasi aurea corona fulgentibus gemmis illuminata, ornatur Nostra Sancta Mater Ecclesia; gestitque animus illos exponere. Cuncti autem hi loci in eorum omnium mentibus, qui illos sine praejudicatis opinionibus legant, certam hanc stabilitamque sententiam suapte natura insculpere videntur: eamdem materiam rursus cum animo esse copulandam quam hic mortis tempore deposuerit. Qui enim alii sensus, quae alia sententia ex animis, praesertim popularibus, erumpat necesse est, antiquissimas illas preces audientibus: «Debitum humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes, Deum, cui omnia vivunt, fideliter deprecemur, ut *hoc corpus a nobis in infirmitate sepultum,* in virtute et ordine sanctorum resuscitet...»?[1]. Non tamen argumentum liturgiae enucleate tractabimus. Libet autem duo vel tria promere exempla ex antiqua Hispanorum liturgia, totam illam, quam habet, absolutionem perfectionemque saeculis VI et VII jam consecuta[2]; mirabiliter

1. Vide v. gr. *The Gelas. Sacram.,* ed. *H. A. Wilson* 1894, n. 751, p. 298.
2. *Monum. Eccl. liturg.,* V «Le Liber Ordinum», ed. *Férotin* 1904, Introd. p. XII.

splendida animosque permovente, quae nostris Hispanorum auribus animisque dulciter ac jucunde semper sonabit. Officium unum et missam unam seligamus; quae, eadem retenta barbara scribendi ratione qua descripta sunt, edemus.

Officium n. XLIII, ed. Dom Férotin[1], pulchre exorditur hoc pacto: «Requiem eternam det tibi Dominus: lux perpetua luceat tibi, et repleat splendoribus animam tuam, et ossa tua reuirescant de loco suo...». Adjunguntur statim hae preces: «Christe rex, Vnigenite Patris altissimi, qui es lux angelorum et requies omnium in te credentium animarum, lacrimabiliter quesumus, ut nostras nunc pius orationes exaudias... Sicque animam eius nunc splendoribus reple in regione uiuentium ut tempore iudicii, sumto corpore quod hoc detinetur in tumulo, a te se gratuletur suscipi celesti in regno. Ossa quoque eius, que modo casu corruptibilitatis hoc in sepulcro iacent recondita, supremo examinis die reuirescentia resurgant in gloria inmortalitatis induta: atque ab exitio mortis secunde ereptus, gaudium uite perpetue potiatur securus, ut electorum numero insertus, angelorum cateruis unitus rura paradisi uernantia mereatur ingredi letus...»

Illustrior est hic alius locus ex «Missa generali defunctorum»[2]. Ita *Post Sanctus:* «Vere sanctus, uere benedictus es, Domine Deus noster, auctor uite et conditor...; qui necessitatem animarum recedentium

1. L. c., col. 148-149.
2. L. c., col. 421-422.

a corporibus non interitum uoluisti esse, sed somnium, et (ut?) dissolutio dormiendi roboraret fiduciam resurgendi: dum in te credentium uiuendi usus non amittitur, sed transfertur, et fidelium tuorum mutatur uita, non tollitur. Cuius institutionem nulla diuersitas mortis, nullum indicium indicte mortalitatis inludit, et ita opera tuorum digitorum perire non pateris: ut quicquid hominum per mortis uarietatem tempus labefecerit, aura dissoluerit, ignis consumserit, auis rapuerit, fera discerpserit, terra obsorbuerit, puluis inuoluerit, gurgis inmerserit, piscis exesserit, uel quicquid in uetustissimum mare fuerit redactum, te iubente, terra rediuiuum restituat, induatque incorruptionem, deposita corruptione...»

En, quibus sententiis a saeculo V ad XI veteres Hispaniarum ecclesiae in suis caerimoniis personarent! qui sensus per volucres cantus sacramque musicam in majorum nostrorum animos illaberentur! Similes in aliis liturgiis videre licet. Quin, ipsum etiam Rituale Romanum, etsi majore parsimonia, ut est mos illius, nonne idem inculcat in iis precibus quas ad coemeteria consecranda et reconcilianda, adhibet? «Omnipotens Deus (ita etiam nostris diebus sacerdotes precantur)... respice propitius ad nostrae servitutis officium, et ad introitum nostrum... sanctificetur hoc Coemeterium; ut humana corpora, hic post vitae cursum quiescentia, in magno judicii die simul cum felicibus animabus mereantur adipisci vitae perennis gaudia...» Atque iterum in his aliis precibus: «Deus... qui remissionem omnium peccatorum per tuam magnam misericordiam in te confidentibus praestitisti,

corporibus quoque eorum in hoc Coemeterio quiescentibus et tubam primi Archangeli exspectantibus, consolationem perpetuam largiter impertire...»[1].

§ IV. Communis fidelium sensus

Positis his, quae hactenus diximus, supervacaneum videtur in hoc laborare ut statuamus populi christiani cogitationes mentemque totam perenni constantique Patrum explicatione esse prorsus imbutam. Numquid aliter res esse poterat? Artes pingendi, fingendi ceteraeque similes; sepulchrorum inscriptiones; universa denique idem loquuntur. Locus, ubi fidelium membra requiescunt, vocatur *coemeterium* (dormitorium κοιμητήριον cum quo verbo aliquando jungitur ἕως ἀναστάσεως), videlicet locus ubi mortuorum reliquiae dormiunt, donec, gloria et immortalitate indutae, tubae sonitu expergiscantur. Mors nihil est aliud nisi somnus (dormitio, κοίμησις); mori est dormire aut quiescere (κοιμᾶσθαι, εὕδειν). Remigrat animus ad sepulchri reliquias quas ibi iterum animat atque format[2].

Multis aliis modis mens eadem apparet atque eminet. Distracta sua membra alloquebantur martyres,

1. Titulo VIII, c. 29.

2. Cfr. v. gr.; Katschthaler, *Theol. dogm. cath. spec.*, l. IV «Eschat.», sect. III, c. II, art. 2, n. 363 sqs., p. 448 sqs. (Ratisbonae 1888); *Monum. Eccl. liturg.*, v. I «Reliquiae liturg. vetust.» Cabrol-Leclerq (Paris 1900-1902), sect. I; Garrucci S. J., *Storia dell'arte crist. nei primi otto sec.*, (Prato 1872-1881); S. Bour, *Epigr. chrét.*, apud «Dict. de théol. cath.» Vacant etc., col. 340-342; praeterea videri potest Mamachi O. P., *Originum et antiquit. christ. libri XX*, t. III (Roma 1751), l. III, c. 1, p. 24, nota 1 et c. 2, § III, pp. 258-260; recentius, breviter et pulchre: Sixto Scaglia O. C. R., *I «Novissimi» nei monum. primit. della Chies.*, colec. «Fede e Scienza» nn. 72, 73, IV (Roma 1910) p. 66 sqs.

sperantes a se illa eadem, quae divulsa, quae discerpta erant, esse recuperanda. «Videns S. Adrianus laceras corporis sui partes jacere in terra, exsultans dicebat: 'O vos felicia membra, quae meruistis Deo famulari! nunquam vos sic amavi in corpore sita, ut nunc exsulto vos intuens separata. Sic nos decuit ad tempus sejungi, ut tandem nostro Regi occurramus in gloria; et pro mortalibus membris vos eadem mihi restituamini immortalia. Vos estis nunc membra Christi, et me nunc Christi esse sentio, quod semper super omnia optavi.' Hinc gentiles, fidei huic ut illuderent, martyrum corpora nonnumquam cremabant, cineresque in ventum vel fluvios spargebant, ne, ut dicebant, spes quidem ulla resurgendi eis relinqueretur»[1]. De hac gentilium pravitate aliquid supra diximus notatumque reliquimus hanc fuisse vicissim unam omnium christianorum vocem: Deo O. M. nihil elementorum interire, nihil ejus sapientiam atque potentiam effugere. Quin imo, vel ille ipse timor quo christiani quidam, rudes praesertim, angebantur, ne cadaver destrueretur ejusque reliquiae dissiparentur quasi id impedire posset quominus fieret resurrectio[2], declarat profecto easdem de eorum sententia mortui corporis reliquias esse suscitandas. Denique reliquiarum cultus et, ut generatim loquamur, honor, mortuorum fidelium corporibus exhibitus, satis etiam ostendit antiquorum mentem christianorum. Etenim una ex

1. Hurter S. J., *SS. PP. opusc. selecta*, v. XIII, ed. 3.ª (Oeniponti 1912), *SS. Martyr. acta selecta*, Praef., V, n. 16, p. 31.

2. E. Le Blant, *Les persecuteurs et les martyrs aux premiers siècles de notre ère*, c. XXIII, pp. 251-269 (Paris 1893).

rationibus, ob quas ille cultus ac religiosus honor exhibebatur, haec designabatur quod est cum animo jungenda rursus eadem illa materia, *cineres* illi *quiescentes,* quemadmodum pulchre et apte loquitur S. Hieronymus[1].

Haec versibus celebrat instinctu afflatuque, quo solet, excelso cursuque magnifico *Prudentius* noster in hymno «Circa exequias defuncti»[2]: qui quidem fide est atque spe vibrans hymnus, quasi triumphale quoddam *alleluja* coram mortis falce, fracta comminutaque per Christum. Lectoribus gratum nos facturos putamus, si nonnulla descripserimus:

«... Venient cito saecula cum jam
Socius calor ossa revisat,
Animataque sanguine vivo
Habitacula pristina gestet.

Quae pigra cadavera pridem
Tumulis putrefacta jacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.

Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur; *hinc* resolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
. . . . . .

1. *Ep.* 66 *ad Pammach., de dorm. Paul.* (CV, 54, ed. *Hilberg*, n. 5, p. 653).
2. *Cathemerinon* X; ML 59, 875 sqs.

Quidnam sibi saxa cavata,
Quid pulchra volunt monumenta
Nisi quod res creditur illi
Non mortua, sed data somno?

Hoc provida Christicolarum
Pietas studet, *utpote* credens
Fore protinus omnia viva
Quae nunc gelidus sopor urget.

. . . . . .

Jam moesta quiesce querela,
Lacrimas suspendite, matres,
Nullus sua pignora plangat:
Mors haec reparatio vitae est.

Sic semina sicca virescunt
Jam mortua, jamque sepulta:
Quae reddita cespite ab imo
Veteres meditantur aristas.

Nunc suscipe, terra, fovendum...
Animae fuit haec domus olim...
Tu depositum tege corpus;
Non immemor ille requiret
Sua munera fictor et auctor»...

§ V. Mira quaedam consectaria

Antequam historiam aggredimur, mira quaedam consectaria, quae ex recentiorum explicatione consequuntur, utile fuerit exponere; ita novum conficiemus argumentum.

1. Atque id quidem sit primum: recentiorum explicatione data, recipi non posse quoddam locutionis genus, cujus usum Ecclesia ipsa per liturgiam consecravit[1]; est autem illud in quo demonstrantes cadaveris reliquias dicimus futurum omnino esse ut eaedem ipsae resurgant, ut rursus animo reddantur &. &. Tota ista ratio loquendi tam est germana, antiquitatis monumentis tam obsignata atque testata ut protestans quidam, Dr. Major, in recenti aptissimaque ad docendum controversia volens una comprehensione breviter summatimque describere quid de resurrectionis modo tenuerit universa Traditio, dixerit a Traditione esse propugnatam *the resurrection of relics*[2]. Atqui novae explicationis defensores, illi videlicet qui accurate loqui volunt ac proinde theologi in primis, totum hoc loquendi genus, Traditionis usu ac religione consecratum, vigilantissime laborant ut penitus devitent; coguntur id facere constantiae causa. Semel, semel tantum hujus generis loquutio apud R. P. Billot S. J. extollere se nonnihil videbatur, tum quum hic auctor homines iisdem corporibus resurrecturos esse defenderet, ea usus ratione quae de verbo ipso promitur *re-surrectionis.* At vero solertissime Rev. Pater talem loquutionem adhibet, qua cavetur ne corpus mortuum ac dissolutum, idem resurrecturum esse dicatur. Et tamen est tam similis loquutio

1. Cfr. ea quae supra diximus sect. I, c. 2, § III.
2. *The doctrine of the resurrection of the body — Documents relating to the quaestion of heresy raised against the R. H. D. A. Major...* issued by the R. R. H. Burge D. D. Lord Bishop of Oxford; *II Reply...* p. 47 (London-Oxford 1922).

selecta ut vix fieri possit quin sive imperitis sive cursim legentibus eadem esse videatur. Ita enim dicitur: «Ipsum ergo corpus quod corrumpitur et dissolvitur, idemmet resurget incorruptum»[1]. Quam belle id, quam etiam acute arguteque dictum! Potest enim ista loquutio in significatione poni philosophorum propria, ita ut sermo sit de dissolutione, sive, ut dicitur, de *corruptione philosophica,* quae nihil est aliud praeter mortem; porro corpus quod *corrumpitur* (non praeterito sed praesenti tempore!) nondum est corruptum seu mortuum, sed contra *animatum formatumque animo humano;* eo siquidem puncto temporis, quo animus est disjunctus a corpore, corpus jam non moritur sed mortuum est, jam non «corrumpitur» sed «corruptum est». Jam vero in Durandi sententia recte vereque dicitur corpus, animo humano animatum, idem resurrecturum: «Ipsum corpus quod corrumpitur, idemmet resurget incorruptum», quemadmodum supra ajebat R. P. Billot.

2. Si Verbum divinum suam cum mortuo venerandi Redemptoris nostri corpore junctionem conservare desiisset, tum, *etiamsi corpus illud, cujus materia per vitam sanctissimo Redemptoris animo formata est, in cruce aut in sepulchro integrum permaneret* iisdem vulneribus, iisdemque omnibus quae post mortem retinuit, tamen nihilominus verum esset et fide tenere possemus Dominum nostrum resurrexisse eodem corpore, eodem plane corpore «quod passum est sub Pontio Pilato, crucifixum,

1. *Quaest. de noviss.,* q. VII, th. 13, § 1, p. 165 (ed. 5.ª, Romae 1921).

mortuum et sepultum». Negari nequit id esse subdifficile atque omnino hujusmodi quod, *multa solum metaphysica conditum,* a quibusdam doctis recipi possit et concoqui; sed fidelium maxima pars illud sine dubitatione repudiabit. Aut enim istius metaphysicae ne extrema quidem attingere vel gustare poterit, aut, quidquid est possintne quaedam in media metaphysica retrusae atque abditae explicationes teneri, judicabit non secundum earum normam explanandas esse planas et apertas sententias quibus Sacra Scriptura, Sancti Patres, et Ecclesiasticum Magisterium utuntur, etsi tales sint quae, dum metaphysice argutissimeque disputatur, ad hunc fortasse modum explanari posse videantur.

Possumus eamdem instituere rationem sumpto argumento e corpore Beatissimae Virginis, cujus nulla est dissolvenda junctio quae ut eadem materia rursus animo formetur postulet. Possumus tandem, atque id erit fortasse clarius, de omnium resurrectione argumentari. Quod ut efficiamus, audeamus aliquid ponere et cogitatione depingere. Universi homines mortem jam obierunt; ecce autem postremum tempus instat. Lector, qui haec nostra legit, divino lumine illustratus mortuas totius generis humani reliquias contemplatur: alias tamquam pulverem per universum orbem terrarum dissipatas; alias quarum partes integrae restant; alias denique omnino integras, quae in sepulchris requiescunt circumlitae fortasse et conditae, abditis terrae locis penitus retrusae. Et ecce tandem Archangelus tuba signum dat, cujus sonitu innumerabilis hominum multitudo exsu-

scitatur. Et illi quidem resurgunt atque stant; verum lector pergit videre dissipatos per terram mortuorum cineres, in sepulchris cadavera jacere, omnes denique materiae particulas, e quibus hominum corpora olim constiterant, immutatas remanere. Quid ita? Tamenne homines iisdem corporibus, iisdemque plane quibus vixerunt et mortui sunt, resurrexisse dicemus? Quippe. Atque illud, quod erat praedictum «omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei»[1], estne ad rem veritatemque traductum? Sane quidem. Atqui, nonne etiam nunc resurgentium cadavera, sive dissoluta atque dispersa sive integra, requiescunt in sepulchris? Certe; sed, etiamsi Deus alia materia usus sit ad efficienda resurgentium corpora, etiamsi aliam, omnino similem, fortasse creaverit, tamen animus idem est, et «ubi eadem est numero forma, ibi est idem numero corpus idemque numero ens». Quo subtili responso dato, docti quidam, *sua metaphysica armati,* fortasse subrideant; fidelium vero, doctorum atque indoctorum, multo maxima pars neutiquam sibi subridendum esse judicabit. Quibus omnibus illud cursim adjungimus quod amplificabimus postea: his metaphysicis nostra in quaestione numquam usum esse Sanctum Thomam. Quae hactenus diximus, R. P. Huarte S. J. breviter ac dilucide his verbis comprehendit: «Praeterea, in doctrina Durandi etsi omnia corpora mortuorum in sepulchris manerent, ad veritatem resurrectionis satis esset animas conjungi materiae a Deo de novo creatae. Quod quis ad-

1. Joan. V, 28.

mittat?» [1]. Simili nixus argumentandi genere, celeberrimus P. Palmieri, qui acumen ingenii magna cum doctrinae copia sacrorumque monumentorum usu conjunxit, nonnihil exardescens, ut erat homo apertus, his verbis in eamdem fere Durandi sententiam invehitur: «...Unde sequitur quod si Deus novam materiam ex nihilo crearet pro constituendis corporibus quibus animae conjungerentur, adhuc haberetur resurrectio, quamvis defuncta corpora in sepulchris manerent, quia *esse* quod anima conferret his novis corporibus foret idem ac *esse* quod contulit prioribus. An hic est conceptus christianus resurrectionis? Mirum quod Sanctus Paulus hanc theoriam ignoraverit, qua possibilitatem resurrectionis absque ulla difficultate evidentissime demonstrasset» [2]. Paulo antea idem auctor exclamaverat, sumpto argumento e resurrectione Domini: «An putas potuisse fieri ut auderent Apostoli praedicare resurrectionem Christi Judaeis, si isti in sepulchro conspexissent relictum cadaver, loco cujus alterum corpus Christus suscepisset?» [3].

Alia etiam possumus adducere mira consectaria. Sed haec duo, quae potiora videntur, satis fuerit attulisse.

1. *De Deo creante et elev. ac de noviss.*, c. VII, *de resurrect. mort.*, n. 663, p. 580 (Romae 1917).
2. *Tract. theol. de noviss.*, § 51, n. 7, p. 129 (Prati 1908).
3. L. c., n. 4, pp. 127-128.

PARS ALTERA
Historica praesertim

Hanc partem, utpote historicam potius quam dogmaticam, breviter nobis expediendam esse existimamus.

Etsi, quatuor vel quinque prioribus aetatis christianae saeculis elapsis, quaestio de resurrectione minus praecipuum aut etiam communem locum obtinet, non ideo impugnationem cessisse omnem putandum est. Hujusmodi enim istud est dogma, quod non modicam copiam eorum, quae adversantur, offert, atque eorum maxime quae sua sponte succurrunt; quare neque defuerunt umquam, neque desunt, nec probabili ratione deerunt qui de illo dubitent aut etiam illud oppugnent. Allata exempla augeri commode possunt. Medio saeculo IX Jonas, Aurelianensis Episcopus, necessarium esse judicat egregio suo operi «De institutione laicali» caput integrum inculcare quo carnis resurrectionem defendat; additque causam, videlicet: «quia... a quibusdam de resurrectione mortuorum, infirmitate mentis praepediente, ambigitur» [1].

1. C. XVI; ML 106, 265. Toto hoc capite nihil fere aliud facit Jonas nisi plura Scripturae testimonia describit, plura etiam excerpit ex S. Augustini Enchiridio diversisque operibus S. Gregorii M. Testimonia electa sunt plane perspicua perpetuamque traditionis sententiam collo-

Quin, ipso etiam saeculo X, quod tam fertile omnis flagitiorum generis ac luxuriosum exstitit quam erroribus dogmaticis caruit, Walfredus quidam invenitur qui resurrectionem impugnat [1]. Postea, quum saeculo XI grave certamen erupit eorum qui dialecticae usum in exponendis tuendisque dogmatis defendebant cum iis qui eidem adversabantur, adversarii nonnulla ostendebant in quibus dialecticae leges dogma oppugnarent deducerentque fideles in errorem [2]. Pervulgatum erat exemplum de virginali Immaculatae Virginis partu; neque tamen resurrectionis dogma omittebatur. Ut enim unum afferamus exemplum, Manegoldus de Lautenbach, exeunte saeculo XI, in libello adversus Wolfelmum quemdam ita scribit: «Quamvis enim in morali discretione, praeter ea quae ad fidem cuncta sanctificantem pertinent, in pluribus philosophicae rationes a catholico sensu non discrepent,... tamen, cum ad corporum nostrorum disputationem ventum est, miserabiliter desipuerunt, statuentes sibi perni-

cant in bono lumine. Non omittitur celeberrimus ille locus ex Enchiridio sumptus: «Non autem perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet pulverem cineremque solvatur... etc.» — Abbas Samson († 890) cujusdam hispani adducit exemplum negantis resurrectionem. Est ille quidem Episcopus, appellatus Samuel, patruus matris haeretici Ostegesis *(Apologet.* l. II; Flórez, *Esp. Sagr.,* t. 11, p. 379, n. 4).

1. Cfr. Mabillon, *Praefationes et dissertationes,* praef. in saec. V Ord. S. Benedicti, §. III, pp. 407-408 (Tridenti 1724).

2. Ghellinck, *Le mouvement théol. du XIIe siècle* (Paris 1914); c. I, §. 4 *Le XIe siècle,* p. 50 sqs. — c. II, append. E, pp. 175-177. — Cfr. ejusdem auctoris brevem, at eximium articulum apud *Beiträge zur Geschichte der Phil. des Mittelalters* (Mûnster i, W. 1913) Supplem. Band, p. 85 sqs. — Grabmann, *Die Geschichte der scholast. Methode* (Freiburg 1909), v. I, sect. 4, c. 2, p. 215 sqs. — Robert, *Les écoles et l'enseignement de la théol. pendant la première moit. du XIIe siècle* (Paris 1909), part. 1, c. IV, pp. 88-92.

ciosas sententias, quae veniunt contra resurrectionis mysterium...»[1]. In quot etiam et quanta incurreret resurrectionis dogma, significare nonnihil videntur crebrae illae Conciliorum cohortationes ut tum clerici tum etiam Episcopi hoc dogma fidelibus traderent[2]. Jam vero animadvertamus quaestionis de resurrectione summam, causamque fere totam in corporis resurgentis identitate consistere, atque hanc identitatem proprie respici, sive aperte sive obscure, in quacumque de resurrectione controversia; ex quo recte concludi potest quantae demum sit auctoritatis ac roboris haec octo priorum saeculorum ea de re, quae toties erat in aciem dimicationemque perducta, consensio.

1. C. XXII; ML 155, 170.

2. Exempli causa *Concil. Moguntinum*, c. 2, anno 847: «Et quilibet episcopus habeat omelias continentes necessarias admonitiones... id est: de fide catholica prout capere possint, de perpetua retributione bonorum et aeterna damnatione malorum, *de resurrectione quoque futura* et ultimo judicio, et quibus operibus possit promereri beata vita quibusve excludi. Et ut easdem omelias quisque aperte transferre studeat in rusticam Romanam linguam aut Teotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere quae dicuntur.» MGh, *Cap. Reg. Franc.*, t. II (Hannoverae 1897) p. 176. Videri possunt ibi indicata testimonia aliorum Conciliorum ac decretorum. Descripta verba, verbum e verbo, sumpta sunt ex c. XVII *Conc. Turon.*, anno 813, (Msi, col. 85) cujus hoc est exordium: «Visum est *unanimitati* nostrae...», quae quidem formula in aliis canonibus deest. Profecto etiam Arno, Archiepiscopus Salisburgensis, in ea «Instructione pastorali», in qua statuta Synodi provincialis Rispacensis, anno 798 (?), fidelibus exponit, unum locum, qui ad fidem referatur, proprie nominat perpetuaeque Episcopi vigilantiae commendat, videlicet *resurrectionem:* «In hoc semper episcopus debet gregem suum admonere, ut fidem rectam teneant, *resurrectionem sanctam credant,* in hoc non dubitent...» MGh, *Concil.*, t. II, part. I (Hannoverae et Lipsiae 1906) p. 200.

CAPUT PRIMUM

QUID TENEANT ORIENTIS AUCTORES USQUE AD SCHISMA

Ne, ante absolutum schisma, Orientis auctores prorsus omittamus, unum et alterum ex saeculis IX, X et XI afferri oportet.

Anno 826 obiit vir ille sanctissimus, saepe martyr, Traditionis amantissimus quam incredibili constantia perpetuo defendit: *S. Theodorus Studita*. Ab hoc tanto viro, cui Patrum vestigiis insistere cordi erat, aliquid exspectare, quod Traditioni non plane resonet, perabsurdum est. Rem quidem nostram raro leviterque perstringit; quae tamen dicit vel significat, de ore ipso Patrum manare videbuntur. Exemplum cernere licet in catechesi XXII ex Parva Catechesi quam noster Theodorus postremis vitae annis videtur lucubrasse [1]; in qua demonstrat fore ut in resurrectione inter nos agnoscamus contrariumque pronuntiatum ait esse «origenianis fabulis impietate par» [2]. Jam vero, ut rem obtineat, initio argumentum ex resurrectione sumit quam facile, inquit, negaremus, humanis tan-

1. Cfr. Anal. Bolland. «La Petite Catéchèse de S. Théodore Studite», t. XXXIII, p. 31 sqs.; auctor lucubrationis, Van de Vorst, designat tempus ab anno 821 ad 826.

2. *Theodori Studitis Praep. Parva Catech.*, ed. Auvray (Parisiis 1891), p. 82.

tum rationibus nixi. «Qui enim potest dissolutum corpus ac forte depastum a feris, sive alite, sive pisce, atque id quidem multis modis subinde succedentibus, supremo die in unum cogi? et tamen arcana Dei potestate tum cogetur ac resurget; tum animus suum quisque corpus, quocum vixit, agnoscet»[1]. Ecce Traditionis clara atque incorrupta vox! Diceres huic antiquitatis observantissimo viro satis esse si eodem animo quaevis materia formetur; quidnam, quaeso, responderet?

Saeculo X aut circiter *Arethas Caesareae Episcopus* († c. 932) Apocalypsim explanans, quum alia tum haec breviter et satis dilucide scribit: «Quemadmodum corpora ab initio coeperunt esse, non casu aut ex se ipsis, sed ex quatuor elementis...: ita rationabiliter, rursum in illa resoluta, ex his rursum compositionem recipient. Quoniam autem hoc etiam rursum *concursum* parit *earum quae prius fuerunt partium* ad subsistentiam hominum: proptera dicit mare sive aquae substantiam *effudisse humorem qui ad se pervenerat &. &.*»[2]. Haec autem scribit ut quibusdam respondeat fidem resurrectioni non adjungentibus quia resurrectio fieri non potest «in iisdem corporibus, quae a saeculo corrupta — sunt et — esse desierunt» ἃ, ἐξ αἰῶνος φθαρέντα, εἰς τὸ μὴ εἶναι ἐχώρησαν; quae quidem verba, etsi id ex prioribus satis constat, ad corpora jam mortua, non solum morientia, referuntur.

Auctorum magna est caritas, quod ad rem nos-

1. L. c., p. 81.
2. *Comm. in c. XX, v. 13:* MG 106, 760.

tram attinet, in primo medio saeculo XI. Ut aliquem tamen nominemus, enumerationem concludat orator et poeta, qui tanti habitus est «ut Gregorius Nazianzenus alter esse videretur»[1]: *Joannes Mauropus,* Metropolita Euchaniae seu Euchaitae († c. 1054). Ex paucissimis scriptis quae restant, ecce versus quidam jambici, in latinum conversi, quos occasione cujusdam chirographi lacerati et iterum compositi scripsit: «Fidem unusquisque mortuorum resurrectioni habeat; ossa ad ossa rursum connectentur, et coagmentum iterum habebunt corpora soluta, siquidem istae laceRationum minutiae in unum colliguntur et denuo coalescunt...»[2]. Eadem proinde sententia, utpote in omnium mentibus perpetuo inhaerens, sua sponte, ubi minus exspectes, de repente exsistit.

Abeamus ab Oriente atque Occidentis auctores paulo uberius expendamus.

1. Hurter, *Nomencl. litt.,* t. I, n. 571, col. 1020.
2. LI; MG 120, 1163. Mirati sumus, volumen hoc legentes, mendorum copiam, quae in his, quae edidit ipse Migne, rara esse solent. Sed explicationem invenimus. Volumen, quod in manibus habemus, iterum editum est anno 1880, descriptumque ex opere quod Migne primum edidit anno, ut videtur, 1864.

CAPUT ALTERUM

QUID TENEANT OCCIDENTIS AUCTORES

§ I. Periodus prima

Saeculis IX-XI

Renovatio, quam Carolinam appellare possumus, si universa comprehenditur, praeparatio quaedam videtur ad futura tempora, initium quoddam animorum dirigendi ad novas regiones quae jam quasi procul incipiunt se mysteriorum plenas extollere. Verum hoc etiam tempore ac multo post, usque ad medium fere saeculum XI, praecipua studiorum philosophiae ac theologiae nota ea est quam recte Grabmann appellat «*Rezeptivität, Traditionalismus*»[1]. Tempus videlicet est quo plurimum tribui solet colligendis iterumque edendis apte compositis antiquitatis documentis; eaque praesertim consuetudo in dogmate resurrectionis cernitur.

Fieri non potest quin ab *Alcuino* († 804) ducamus exordium, qui per universum Caroli M. imperium quasi «disciplinae doctrinaeque moderator» exstitit, ideoque vir habitus est maxima auctoritate inter aequales. Princeps ejus opus dogmaticum: «De fide sanctae et individuae Trinitatis libri tres», totum fere

1. L. c., c. 1, § 1, p. 179 sqs. -- Ghellinck, l. c., c. 1 p. 8 sqs.

confectum est congerendis componendisque locis Sanctorum Patrum, magnamque partem S. Augustini. Libri tertii in capite XX agit Alcuinus de resurrectione suamque operam in eo collocat, non quidem ut solum excerpat, sed certe ut selecta ex Enchiridio et Civitate Dei documenta ad summa capita redigat atque componat. Mirabiliter autem lecta sunt verba atque sententiae: «Absit hoc a fide nostra dubitare ut resuscitanda corpora vitaeque reddenda non possint omnipotentia creatoris omnia revocari, quae vel bestia vel ignis absumpsit vel in pulverem cineremque collapsa vel in humorem resoluta vel in auras sunt exaltata. Absit ut sinus ullus secretumque naturae ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, ut omnium creatoris aut cognitionem lateat aut effugiat potestatem...»[1]. Dixerat S. Augustinus: «Absit autem ut ad resuscitanda...» Alcuinus vero sententiae robur auget his additis: «*Absit hoc a fide nostra dubitare ut...*»

Etsi testimonia ad nostrum propositum non deessent, praetermittamus Alcuini amicum et discipulum, *Rhabanum Maurum,* scriptorem copiosum qui tamquam «primus praeceptor Germaniae» est salutatus, atque anno 856 Archiepiscopus moguntinus decessit[2]. Praetereamus etiam nobilem virum *Pas-*

1. ML 101, 52.

2. Ex. gr. *Comm. in Ezech.,* l. XIII, c. 37; ML 110, 862 — *Comm. in Eccles.,* l. X, c. 2; ML 109, 1083, 1084. Videri etiam possunt ejus commentarii ac homiliae in I Ep. ad Cor., apud Migne vv. 110 ac 112. Erat praeterea Rhabanus poeta vel, ut accuratius loquamur, versuum fabricator. Ex ejus *De fide catholica rythmo carmen compositum* haec excerpimus: «79. Tuba primi archangeli — strepente admirabili — erumpent munitissi-

chasium Radbertum († c. 860), quamvis aequum fortasse esset parumper consistere et tam venerandum virum rogare sententiam eo magis quod, aetate hac quae tam fertilis exstitit *florilegiorum* et compilationum, Paschasii scripta in iis numerari possunt, quae, quippe cum minus de aliorum scriptis decerpant et proprio ingenio propriisque verbis diligenter sint elaborata, auctoris sunt maxime propria. Ejus sententiae illustres sunt, expressae atque praecisae[1].

Nihilominus operis cujusdam, quod theologorum *medii aevi* cibus cotidianus fuit, quod saepe S. Bonaventura[2], saepe etiam ipse S. Thomas citavit, mentionem faciamus necesse est: commentarios dicimus *Walafridi Strabonis* († 849) seu «Glossam ordinariam». E brevibus notationibus, quibus Sacram Scripturam pedetentim explanat, aliquod seligamus exemplum. Modus simplex idemque firmus et constans, quo non tam exponit majorum sententiam quam ea tamquam explorata utitur, declarare satis videtur majorum eam esse sententiam quae *una* in illius temporis rudium doctorumque mentibus inhaerebat. Capitis XX ex Apocalypsi ad versum 13 *Et dedit mare mortuos suos* explanator noster ut pervenit, perbrevem hanc notationem addit: «Vult aperte ostendere corpora mor-

ma — claustra ac poliandria, — surget homo a tellure — restauratus a pulvere. — 80. Undique conglobantibus — membrorum compaginibus, — animabus aetralibus — eisdem obviantibus — certant sancti cum munere — Christo regi occurrere.» MGh, *Poet. lat. aevi Carol.*, t. II (Berolini 1884) p. 202.

1. Quum alia videri possunt, tum *Expos. in Matth.*, l. XI, c. 24; ML 120, 816. Cfr. *De corp. et sang. Domini*, c. 11; l. c., col. 1310.

2. *Opera omnia*, t. X (Ad Claras Aquas 1902), p. 272, ubi collecta sunt testimonia ex *Glossa ordinaria* deprompta.

tuorum, quantumcumque fuerint dissecta, in illo judicio vivificari, quod quidam non credunt»[1]. Brevis etiam est ac simplex eorum explanatio verborum Tobiae *Corpus meum sepeli*[2]: «Corpora sepeliendo quasi sacrosanctum depositum terrae commendamus, quae reddenda et glorificanda in resurrectione credimus»[3]. Ecce sententia e puro Traditionis fonte manans, christiana in primis, ab antiquissimis temporibus communis, ex qua mortui hominis corpus nihil est aliud nisi sacrum *depositum* quod terra fidissime est redditura.

Saeculum X sterilitatis est maximae. Aestu quodam barbariae quasi exusta jacet viriditas illa omnis atque praeclara spes quam aetas carolina pepererat. Raro exsistunt scriptores alicujus momenti, rarius vero iidem argumenta plane dogmatica attingunt. Scholarum tamen in umbraculis disciplinae scientiarum exercitationesque dialecticae religiose adservantur quae animos sensim excolant et parent ad gloriosam renovationem cujus jam tempus adventat[4].

Primum medium saeculum XI praetermittamus. Profecto floret id temporis magnus ille Episcopus Fulbertus († 1028), cujus impulsu Carnotenae scholae ad inusitatum splendorem pervenire potuerunt[5]. Nihilominus exspectandum est medium alterum saeculum ut

1. ML 114, 745.
2. C. IV, v. 3.
3. ML 113, 727.
4. Mabillon l. c. — Ghellinck, *Le mouvem.* etc. l. c., I, §. 2 *Le siècle de fer*, p. 29 sqs.
5. A. Clerval, *Les écol. de Chartr. au moyen-âge, du Ve au XVIe siècle* (Paris 1895?) sect. 1, p. 29 sqs.

earum fructus quasi maturitatem consequantur. Quum circiter annum 1046 tristis famae Berengarius turonensis, Fulberti discipulus, de Eucharistia coepit publice heterodoxa effutire, adversus eum exsurgunt qui ejus olim condiscipuli fuerant. Controversia haec, non ludorum atque pompae sed qua in aciem ipsam dimicationemque venitur, animorum excitat incendia. Additur paulo post «de investituris» bellum ingens, in quo, ut multum celebrata vox fert, plus quam gladius, stylus ipse luctatur. Quae duae controversiae ansam quidem *monographiarum* dant non parvi momenti; verum, ut jam existimari potest, earum etiam argumenta, quae de re dogmatica agunt, in quaestionibus de sacramentis similiumve locorum cognitione plerumque versantur. Quamobrem nihil est cur unum et alterum volucre et incidens verbum solliciti anquiramus. His tamen multoque magis exegeticis commentariis qui, ut flores inter ruinas, sparsi et vage disjecti conspiciuntur, incorruptus afflaretur perceptus jam Traditionis odor[1].

Egregii tamen viri, Ecclesiae Doctoris, qui his temporibus floruit, testimonium saltem afferamus. Quaerit *S. Petrus Damianus* († 1072) in oratione quadam: «Quid ergo est quod sancti patriarchae, qui

1. Ex ipso etiam saeculo X prioribusque annis saeculi XI aliquot auctores adduci possunt, exempli causa: Remigius Antisiodorensis († c. 908), *Expos. in Apoc.*, c. XX, v. 13; ML 117, 1191 (inculcata operibus Haymonis Halberstadensis): *Expos. in I ad Cor.*, c. XV, et *ad Phil.*, c. III, v. 21; ML 117, 600 sqs., et 749 — Atto, Episcopus Vercellensis († c. 961), *Expos. in I ad Cor.*, c. XV; ML 134, 404 sqs. — S. Bruno, qui Ordinem Carthusiensium condidit, († 1101 aut 1102) *Expos. in I ad Cor.*, c. XV; ML 153; 204 sqs.: *in I ad Thess.*, c. IV; l. c., col. 408.

se pulverem et cinerem esse perspicue perhibent, qui certe corpora et corporalia quaeque coelestium contemplatione despiciunt, in Chananaeorum terra corpora sua quiescere tanto desiderio concupiscunt?» Ecce in promptu responsio quam jam a Patribus audivimus: «... ut illic eorum corpora suam exspectarent resurrectionem, ubi resurrecturum esse cognoscebant ipsum beatae resurrectionis auctorem»[1]. Idem alio loco fortasse clarius, majori certe vi atque eloquentia haec habet: «Tunc enim (postremi judicii die) non est quoquam confugere, non est latibulum ubi se quisquam valeat occultare, nimirum quum et inferni portae panduntur; mors inimica destruitur; pulvis, qui putruerat, id est humana caro, audiens vocem tubae vivificabitur. Jam quos in gremio suo terra susceperat, quos aqua sorbuerat, quos edax flamma consumpserat, omnes quasi commissum sibi depositum reddunt et vitae absque ulla sui diminutione restituunt»[2]. Majorum incorruptae voces, eamdem materiam rursus animari affirmantes, in S. Doctoris verbis clare aperteque exaudiri videntur: loquitur nimirum Doctor universae Ecclesiae!

Saeculis XII et XIII (initio)

Exorsa vis et alacritas altero medio saeculo XI, sensim progreditur. Docendi ratio perficitur, tum dialecticae, altiori jam et sapientiori modo adhibitae, tum affe-

1. *Serm. II;* ML 144, 516-517.
2. *Ep. VIII,* l. VIII; ML 144, 477.

rendi auctoritatum redactis in unum viis; conficiendi corporis scientiae exsistere incipiunt conatus quidam et adumbrationes; quaedam vero excisa jam et polita remanent, quibus ad suas fabricas utentur magni illi aetatis aureae magistri: nimirum saeculum S. Thomae praeparatur. Animi juveniles, e barbaria fere tunc evigilantes, eam praeparationem efficiunt tanto impetu, tanta confidentia tantaque spe ut vix simile historia praebeat exemplum. Deest tamen plerumque maturitas et prudentia. Quapropter quaedam erumpunt audaciae quibus ignorari videtur quatemus ratio progredi debeat; quidam scientiae fervor abundans investigationibus, tentationibus, experimentis; variae rationes ac modi cursusque non satis certi qui inter se congredi videntur. Itaque ipsa scientiae vis, quasi fervens, rudibus se formis ostendit, quae, utpote pleniores *subjectivismi,* plures sunt magisque variae quam temporibus continuo venientibus, quum eadem scientia summam perfectionem absolutionemque contingit[1].

Atqui, vel in hac tanta animorum concitatione varioque studiorum cursu, accepta per Traditionem de resurrectione explicatio, una atque eadem perseverat. Docti atque indocti, vulgares scriptores et qui philosophiam vel theologiam profitentur, eamdem explicationem aperte tuentur vel indicant, vel saltem nihil statuunt quo in suspicionem veniamus diversam

1. Grabmann, l. c. (1911), v. II Einleitung, pp. 1-8. — Cfr. Ghellinck, *Beiträge...* etc., l. c., p. 88 sqs. — Wulf, *Le Traité* «De unitate formae» *de Gilles de Lessines,* c. 2 (Louvain 1901) p. 11 sqs.

ab ipsis mente agitari explicationem. Ipse *Abaelardus* († 1142) «princeps heroum pro dialectica» appellatus, notatusque tamquam temere rebus studens novis, diversis locis quibus rem attingit, mentem suam aperte indicat Traditioni plane congruentem[1]. Nec obscurius, ut par est, ceteri. Id ut pateat satis est auctores aliquot adducere qui plus auctoritatis inter aequales atque efficientiae habuerunt, ac praeterea quaestionem de industria pertractarunt.

In quibus nec *S. Anselmus* († 1109) nec *S. Bernardus* († 1153), uterque Doctor Ecclesiae, numerari queunt, etsi eorum in operibus indicia certa et clara non desunt. En aliquot eorum verba, quia tantos viros nefas est nobis silentio penitus praeterire. Scribit S. Anselmus: «...(electi) gravantur somno, dum corpora eorum in tumulis usque ad finem saeculi dormiunt; sed in die resurrectionis evigilabunt... &.»[2].

1. Indicat: α) *testimoniis adductis;* v. gr. scimus ex ipso Abaelardo S. Gregorium M. «saepius in scriptis suis eos qui de resurrectione dubitant, congruis rerum exemplis vel similitudinibus ratiocinando ipsam astruere,..» *Introd. ad theol.*, l. II, §. III; ML 178, 1050: novimus jam exempla et simulacra quae adhibet S. Gregorius — β) *similitudinum delectu*, v. gr. avis phoenicis: «... quoniam vero infidelium multi in tantum de resurrectione hominum dubitant ut nullatenus corpora nostra, in pulverem reducta et dissoluta, iterum suscitari aestiment posse, decrevit divina pietas non solum verbis verum etiam rerum exemplis hanc nobis exhibere... Nemo quippe est qui phoenicis naturam cognoverit et quam ei gloriam saepius morienti et suscitatae divina gratia contulerit, qui de nostra quandoque resurrectione futura diffidere debeat...» *Ad Virg. paracl.* serm. XIII; ML 178, 488 (ipse modus proponendi id quod resurrectioni opponi videtur, multum profecto significat); cfr. l. c., serm. XVI, col. 499 — γ) *variis loquendi modis* qui faciles et plani sunt, Traditionis posita explicatione; cfr. v. gr. *Expos. fidei in symb. Athan.*, ML 178, 631; etc.

2. *Hom. VI de transfig.;* ML 158, 607. — In opusculo *Cur Deus homo* illustri brevitate declarat S. Anselmus hominem resurrecturum eodem corpore quo vixit in hac vita; sed communia sunt verba atque sententiae: l. II, c. 3; ML 158, 401-402.

Imo, si S. Anselmi discipulum *Eadmerum* († c. 1124) adibimus, qui ex ore magistri fluentes sententias, ab eodem magistro postea approbatas, se excepisse profitetur[1], haec fortasse expressiora audiemus: «Apostolus etiam, qui corpora nostra, quantacumque locorum intercapedine separata membratim fuerint sive dispersa, *in ictu oculi* (I Cor. XV, 52) asserit resurrectura, satis innuit... &.»[2]. Simili ratione atque S. Anselmus, ita scribit S. Bernardus: «... consummata viriliter die crucis, secunda, quae post mortem est, quiescamus suaviter, dormiamus feliciter in sepulchris, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei, qui resuscitabit corpora nostra tertia demum die, configurata corpori claritatis suae»[3].

S. Bernardi commemoratio memoriam excitat eorum qui ejus amici et laudatores fuerunt. E quibus praetermitti non potest magnus ille Abbas Cluniacensis *Petrus «Venerabilis»* († 1156), cujus quum possint alia proferri testimonia, illud seligemus in quo duae, quas Traditio explanare solet de reliquiarum cultu, praecipuae rationes pulchre exprimuntur: scilicet, 1.ª, quod «...olim Deo famulantia membra servorum Dei in hac vita famulatu digna esse judicantur»; 2.ª, quae nostra nunc interest, quod «...ad aeternam beatitudinem resurrectura a fidelibus minime

1. *Liber de beat. coel. patriae,* c. XV et postr.; ML 159, 604-606.
2. L. c., c. II; col. 589.
3. *In die sancto Paschae;* ML 183, 278. Inveniuntur etiam apud S. Bernardum sententiae vis et significationis plenae, sed quae de resurrectione generatim agunt; cfr. *In ps. 90* «Qui habitat...», *serm. VIII;* ML 183, 211 sqs.; etc.

dubitantur». Audiantur haec pauca: «Hac spe omni humana re certiores effecti praesentis martyris ossa non velut arentia contemnitis, sed quasi futura incorruptione jam florentia honoratis... Quia ergo praesentis martyris ossa ad vitam aeternam resurgentis ut herba germinabunt... quis non toto affectu in hac vita ducat honorandum quod in futura credit tanti honoris gloria sublimandum?»[1]. Frustra quaerantur in his antiquitatis gravissimis viris explicationes illae cultus reliquiarum, quae quibusdam nunc tam aptae, tam sapientes tamque philosophicae videntur! «Honorat quidem Ecclesia, dicunt pauci isti auctores, corpora defunctorum, sed in hujus honoris delatione attendit personas hominum quiescentium in Christo..... *quidquid sit an corpora reassumenda constare debeant ea ipsa materia signata quae nunc in cadaveribus est* &., &.» Quae quidem ac similia recentiores isti omnino non didicerunt a majoribus suis.

Breviter de resurrectione agunt ii quos hactenus commemoravimus; uberius ista alii. Inter quos vir sanctus idemque sapiens priore medio saeculo XII eminet. Theologus, mysticus, canonista, paedagogus, *Hugo a S. Victore* († 1141) animi magnitudinem altitudinemque cum sapienti moderatione, exquisito judicio, ac suavi firmitate prudentissime temperavit. De libris ejus alti sunt, plurimumque ex iis materiae locosque plurimos, ut illis temporibus mos erat, diversarum aetatum auctores collegerunt[2]. Ergo in hoc praestan-

1. *Serm, IV;* ML 189, 998 sqs.
2. F. Vernet, *Hugues de Saint-Victor* apud DTC, col 297 sqs.

tissimo viro singulare quiddam cernimus notatione dignum. In ejus praecipuo opere «De sacramentis christianae fidei» Patrum Scripturarumque testimonia valde rara sunt; ea tamen testimoniorum caritas, si caput de Trinitate excipias, ad alias materias refertur: nam in parte septima decima libri II «De fine saeculi», in qua de resurrectione est sermo, vix brevissima quaedam dicta Hugonis exstant, quum tota fere disputatio pluribus contineatur testimoniis, ex S. Gregorio ac praesertim ex S. Augustino depromptis [1]. Abesse non poterant loci illi *classici* communiterque adducti, ex Enchiridio in primis excerpti, etsi eorum, qui a nostro auctore adhibentur, copia major est.

Atqui, si vir amplissimo ingenio atque animo patenti et aperto ad omne nobile inceptum conatumque fecundum, ut erat Hugo a S. Victore, nihil fere aliud facit nisi ea, quae ab Augustino dicta sunt, magna cum religione transcribit, novitatem majorem aut etiam, audeamus dicere, novitatem ullam apud *Petrum Lombardum* († c. 1160) ne exspectemus, cujus merita non ingenii rerumque novitate nituntur, quae fere nulla est, sed eo quod ad rem illud perducere potuit quod erat tunc omnium in exspectatione et anxia solicitudine, videlicet theologicas omnes quaestiones quae id temporis agitabantur, articulatim, distincte, prudentique judicio compositas, brevi volu-

1. Operis ac loci jam citati videantur caput 13 ac posteriora (ML 176, 601 sqs.) et conferantur cum capite *Enchiridii* S. Augustini 84 ac posterioribus, et praeterea cum capitibus 55, 56 l. XIV *Moralium* (ML 40, 272 sqs. — 75, 1076-1077).

mine complecti, quodam quasi «corpore theologiae» efficiendo tum discipulis apto tum ipsis etiam magistris. Tamen scriptorem hunc, in theologiae historia quam maxime celebrem ac prope singularem, nominemus necesse est; etenim illius quatuor Sententiarum libri, ut nullus umquam fortasse theologiae liber, mirabilem vim in catholicis scholis atque efficientiam habuerunt[1]. Per aliquot saecula in iisdem scholis opus Lombardi simul cum Sacris Litteris *liber* fuit *textus,* atque innumerabiles illius commentarii inde a saeculo XII sunt conscripti[2]. Non est apud Lombardum testimoniorum tanta copia quanta apud Hugonem a S. Victore. Ad rem nostram quod attinet, adhibentur fere sola Enchiridii capita 88 et 89. Proinde Augustinum sapit ac fere solum Augustinum liber unus inter omnes usque ad saeculum XVI, in primis apud doctos, celeberrimus atque pervulgatus.

Convertamus nunc animo nos et cogitatione ad scriptorem popularem, celebritate famae maxime nobilem, qui, ut fert probabilior opinio, ineunte saeculo XII floruit: *Honorium Augustodunensem.* Hujus nomen illustri diversorum operum, quae ad clerum, praesertim indoctum, erudiendum scripta sunt, praedicatione et fama obscuratur et offunditur. Quantum lecta, descripta, latissime pervulgata sunt illius opuscula, tantum ejus persona mysterio et tenebris tecta est; ita ut nostro etiam tempore Honorius Augusto-

1. V. *Stimmen aus Maria-Laach* «Die Summa theol. des hl. Thomas von Aquin als Schulbuch» a P. Ch. Pesch S. J., 1914, p. 15.

2. P. Lombardi libri IV Sent. studio et cura PP. Collegii S. Bonav. in lucem editi, t. I, *Proleg.* c. II, a. 4, § 8 (Ad Claras Aquas 1916) p. LIX sqs.

dunensis quoddam fere aenigma esse videatur. Ex ejus libris «Elucidarium», catechismo magis quam Summae theologicae simile, singulari modo disseminatum est. Liber est ille popularis, interrogationibus ac responsionibus contextus, plurimas continens quaestiones quae circum haec tria capita distribui videntur: Deum Creatorem ac Redemptorem, Ecclesiam, postrema tempora[1]. De quibus quum agitur, quaerit semel discipulus a magistro: «Aliquando lupus devorat hominem, et caro hominis vertitur in suam carnem; lupum vero ursus, ursum leo devorant; quomodo resurget ex his homo?» Magistri responsum illustri brevitate nitet: «Quod caro fuit hominis, resurget; quod bestiarum remanebit. Scit enim haec bene secernere, qui scivit ex nihilo cuncta condere. Sive ergo membratim a bestiis, sive a piscibus, seu a vo-

1. Est apud Honorium August. mira quaedam responsionum permixtio, quae modo rudes videntur ac pueriles, modo ingeniosae ac mirabiliter perspicaces, saepe non sine aliqua malitia ingenuae atque etiam identidem audaces. Animadvertuntur sane in Honorii eschatologia Scoti Erigenae vestigia, sed ab hujus temeritate et audacia longe abest Honorius. Quare paulo durius E. Amann judicasse censemus qui, in lucubratione de nostro auctore sane docta (DTC *Honorius Aug.*), postquam ex documentis a Dre. Endres recenti tempore editis (*Honorius Aug.*, Beitrag zur Geschich. des geist. Lebens im 12 Jahr.—Kempten und München 1906 — pp. 152, 153) quaedam adduxit, haec ait: «On reconnaît ici cette espèce de résolution cosmique dans le sein du grand tout qui est l'aboutissant du *De divisione naturae* de Scot Ériugène». Ac paulo post adjungit: «A côté de ces hardiesses les affirmations d'Honorius sur la spiritualité absolue des peines de l'enfer paraîtront de peu d'importance» (l. c., col. 156). Nonnihil haec exaggerantur, ut nobis quidem videtur. Dicit certe Honorius: «Post ultimam... resurrectionem, omnium hominum sive bonorum seu malorum corpora erunt spiritualia et nihil postea corporale erit, cum Deus omnia in omnibus erit ut lux in aere, ut ferrum in igne» (Apud Endres, l. c., pp. 152-153). Sed diligentissime paulo supra adverterat idem Honorius id futurum «*manente propria substantia*» (l. c., p. 152).

lucribus devorentur, omnes in resurrectione reformabuntur in tantum ut nec capillus de eis pereat» [1].

Saeculo XIII

Saeculo XII prioribusque saeculi XIII elapsis annis, ad gravissimum in hujus nostrae quaestionis historia tempus accedimus. Dominabatur rerumque potiebatur, prima etiam saeculi XIII tertia parte, doctrina, quae *augustiniana* dicitur, *platonismo* penitus imbuta. Quamobrem, si philosophiam attendimus, altissimarum complexus metaphysicarum commentationum, de Deo praecipue ac de bono morali, splendide illuminatus exstabat atque eminebat, quum tamen quasi in umbris plura jacerent nec subtiliter satis excogitata, nec satis apte distincta atque composita, nec fulta experiendi scientia, copiosa et accurata [2]. At ecce tum in philosophia tum in theologia admirabilis fit eo tempore renovatio per *B. Albertum Magnum* ac praecipue per *S. Thomam* [3]. Quod ad nos attinet, substantiae notiones, corporis, materiae et formae, *individuationis,* ut ajunt, *compositi,* summo Angelici Doctoris ingenio quasi ad aeternitatem consecrantur. Diceres ad absolutionem perfectionemque aliquando tandem esse perventum. Anxius quaerit animus quid de resur-

1. *Elucid.* l. III, 11; ML 172, 1164.
2. Mandonnet O. P., *Siger de Brabant et l'averr. latin au XIIIe siècle,* part. 1, c. II (2.ª ed., Louvain 1911) p. 42 sqs.; Portalié, *Augustinisme,* DTC, col. 2501 sqs. -- Cfr. Card. Ehrle, *Der Augustinismus und der Aristotelismus in der Schol. gegen Ende des 13 Jahr.,* Archiv. für Litt. und Kirchengesch., V, p. 603 sqs. — Wulf, l. c., p. 14 sqs.
3. Mandonnet O. P., l. c.; Wulf, l. c., c. 3, p. 43 sqs.

rectione, in ea praesertim parte quae est totius quaestionis caput, identitatem dicimus corporis resurgentis, S. Thomas sit ipse dicturus; ipse, inquam, qui tanta ingenii vi tantaque excelsitate mentis tuetur atque urget materiam esse *puram potentiam* atque animo humano «hominem non solum esse hominem, sed animal, et vivum, et corpus, et substantiam et ens»[1]. Responsio praesto est. Vere affirmari potest ab ultimo ad postremum ex ejus operibus, saepenumero, quum strictim leviterque tum dedita opera, S. Thomam locum de identitate resurgentis corporis attigisse[2]. Atqui S. Doctor perpetuo, omnibus iis locis, sine ulla dubitatione, aperte ac dilucide judicat atque pronuntiat fore ut resurrectio traducatur ad rem, juncta iterum omnino aut quadam ex parte (nam haec est alia quaestio) ea quae prius erat hominis animo formata materia; illa videlicet ipsa quae fortasse nunc, formis aliis multiplicibus variisque formata, per universum terrarum orbem sit dissipata. Quippe cum secus, ut alia missa faciamus, nihil ad rem plures illae a S. Doctore habitae disputationes in quibus et accurate valde et subtiliter contendit ut pervulgata sophismata, ex anthropophagis sumpta, dissolvat, designato cui sit quibusque conditionibus ad judicii diem caro comesa tribuenda &. &.! Profecto ad hanc doctrinam Angelicus Doctor non declarat quaenam

1. Qq. disp., *De spirit. creat.*, q. unic. a. III. in corp.

2. Quosdam tantum locos afferamus: In IV, D. 44, Q. I, aa. 1-2; *Comp. theol. ad Fr. Reg.*, cc. 154, 156, 160-162; *C. Gent.* l. IV, c. 81; *Quodl.* XI, a. 6; III, q. 25, a. 6, in corp., ac praesertim ad 3um; q. 50, a. 2, ad 2um; *in I ad Cor.* c. XV, lects. V-IX; etc. etc.

sit *theologica nota* apponenda. Verum, praeter quam quod S. Thomas hac in re parcissimus est, multoque magis in specie et gradu notae definiendo, modus ipse perpetuus et constans tradendae explicationis Traditione acceptae, nullis aliorum sensuum vestigiis relictis, demonstrare liquido videtur hanc haberi a S. Thoma tamquam *unicam veramque* explicationem.

Quae quum ita sint negarique omnino non possint, contendunt alii ex ipsis S. Thomae metaphysicis principiis hanc de resurrectione manare doctrinam[1]; contra alii, admirati, ut videtur, quod S. Thomas universae renovationem materiae propugnet, existimantes autem hujusmodi renovationem deducere «logiquement à réduire l'identité numérique à une pure identité de la forme et des éléments chimiques en général et à faire disparaître ainsi l'identité numérique des éléments constitutifs matériels et individuels»[2], indicant necessitatem illam ut hominis animo eadem materia rursus animetur, nihil esse aliud nisi adjunctionem quamdam, quam a S. Doctore Traditionis Scripturarumque monumenta extorserunt; quo eodem sensu eademque ratione in scriptoribus recentibus minime defuit qui, etsi non directo, circuitione tamen satis aperta docuit S. Thomam constanter non esse

1. Quum alii, tum Campodarsego O. M. C. *De resurr. mort.* Q. I, prop. IV, p. 33 sqs. (Roma 1904). Citat etiam P. Campodarsego opusculum S. Thomae *De nat. mater. et dimens. interm.* c. VII. De hujus opusculi authenticitate dubitavit non nemo; at eam recenti tempore, tamquam certam, tuetur nobilis historicus Grabmann in *Die echten Schrift. des hl. Thom. v. Aquin* c. 2, § 4 (Münster i. W., 1920) p. 92 sqs. apud «Beiträge zur Gesch. der Phil. des Mittelalt.» t. 22, 1921.

2. Schwane, *Hist. des dogm., Période. du moy. âge,* 3.ª part., c. V, § 108 (2.ª ed. convers. a Degert, Paris 1903) p. 240.

loquutum vel, ut mitius dicamus, S. Thomam quid ex magnis metaphysicae principiis suisque ipsius *biologicis* doctrinis pro resurrectionis quaestione elici posset, non satis esse assecutum[1]. Quam sint falsa haec duo, facile tum poterit dignosci quum pro nostris viribus contrarias Traditioni rationes studiose refellamus. Nunc illud quidem maneat probe stabilitum et fixum quod de S. Thomae sententia resurrectio, sive potest alia via et ratione haberi sive non, re ipsa tamen seu, ut dici solet, *de facto* ita fiet ut cum animo rursus eadem materia jungatur eo, quem saepe diximus, modo.

Si dux ipse atque princeps progressionis illius cursusque admirabilis in quo plurimarum rationes rerum notionesque, fructu uberrimo quam latissime patente, renovatae sunt et ad tenue elimatae atque perfectae, S. Thomas, Traditionis sententiam tam fortiter est atque constanter amplexus, quod idem de ejus magistro B. Alberto Magno[2] dici oportet: dubitare nihil possumus quin eidem sententiae doctores illi suffragentur qui de schola curriculoque thomistarum aliquantulum deflectunt; quandoquidem una in homi-

1. Reticito auctore de quo supra, afferamus exempli causa locum cujusdam auctoris qui tamen recentiorum explicationi suffragari non videtur. Ita ingenue loquitur hic auctor: «Quamvis haec doctrina (quae identitatem corporis resurgentis explicat ex eo quod *cum eodem animo* jungitur quaecumque materia) revera ex S. Thomae principiis sequi videatur, mirum tamen sane dici potest quod ipse S. Doctor nullibi ad hanc conclusionem pervenit et quod in solutione difficultatum nullo modo ad hujusmodi identitatis sufficientiam appellat» Rath, *Inst. Theol. Dogm. spec.*, pars. II, c. II, n. 205, n. 3 (Buscoduci 1914) p. 110.

2. *In IV Sent.*, dist. 43, 44. Videri etiam possunt ejus commentarii in Script., v. gr. *In Ev. S. Joan.*, c. V (Opera omnia, v. 24 — Parisiis 1890 — p. 220).

ne forma et pura, ut ajunt, materiae *potentialitas,* quae sunt principia proprie thomistica, minime omnium *specie prima* videntur Traditionis favere sententiae. Adeo autem inter illius temporis doctores de hac explicatione convenit ut vere affirmare possimus Traditionis sententiam cunctorum saeculi XIII scriptorum corroboratam esse suffragiis: saeculi XIII, quod est aureum saeculum philosophiae ac theologiae christianae. Ad hunc quasi verticem quum theologus pervenit, fieri non potest quin horreat considerans quid valeat suffragium nulla ambiguitate, nulla titubatione latum; suffragium cunctorum, per continua tredecim saecula, de propria ac definita gravissimi dogmatis explicatione!

Percurramus nunc parumper, ut exempla quaedam, illustria aliquot scriptorum nomina; iisque certo ordine distinguendis, revocemus in memoriam e doctoribus cleri saecularis Gulielmum Antisiodorensem, Gulielmum Alvernum, Henricum Gandavensem.

Gulielmi Antisiodorensis († 1231?) Summa plurimum legebatur ineunte saeculo XIII. Ejus sententiae quum in aliis tum in resurrectionis causa sunt de medio sumptae atque adeo tritae; solum est admiratio nonnulla in eo quod, ut facilius contraria quaedam argumenta dissolvat, quemadmodum antea non nemo verbi gratia Athenagoras[1] fecerat, sic ille distinguit carnem humanam a reliquis carnibus atque ita pronuntiat: «caro humana non transit in veritatem hu-

1. *De resurr. mort.* n. 4 sqs.; MG 6, 981 sqs.

manae naturae alterius hominis, sed alia caro bene transit»[1].

Gulielmus Alvernus († 1249), cujus in scriptis locuples sententiarum thesaurus videtur quasi jacere, sermone vehementi *insipientes* ac *stultos* eos vocat qui «desperant posse fieri, vel eam futuram, generationem humanorum corporum ex pulveribus in quos resoluta fuerint...»[2]; «insipientibus autem non solum admirationi est sed etiam incredibile videtur quod de pulvere seu cinere, in quem resoluta fuerunt humana corpora, reformentur in regeneratione seu resurrectione universali; hoc autem est eis ex ignorantia... Latet... eos illa incogitabilis imperiositas verbi sui (Dei)... qua ei obediunt ea quae non sunt tamquam ea quae sunt..., quanto fortius igitur obediunt ei mortua corpora ut viventia»[3].

Scholae Alberti M. et S. Thomae duo isti antecedunt; *Henricus Gandavensis* († 1293) post S. Thomam floret. In septimo autem e praeclaris suis *quodlibetis* quaestionem de resurrectione tractat[4]. Ejus sententia explorata est. «...Fit, inquit, ut nonnulli homines mortuorum corpora in pulverem redacta considerent; dumque resurrectionis vim ex ratione colligere non possunt, hoc ad statum pristinum redire desperent. Sed homo de hoc non debet dubita-

1. *In IV Sent. ll.*, l. IV, tract. X, (Parisiis, Regnault, s. a. 1500 aut 1501), fol. 55 r. b.
2. Op. omn., t. II, *de Universo*, part. 1.ae princ. pars. II, c. XXV (Venetiis 1591) p. 690.
3. Lc., p. 689.
4. *Quodlibeta Mag. Henr. Goethals a Gandavo*, etc., Quodl. VII, Q. XVI (Parisiis 1518) fol. 269-270.

re... &.» Pergit porro explicare resurrectionem fieri posse, sive una sive plures sunt in homine formae substantiales, etsi aperte profitetur explicationem hujus loci expeditius faciliusque decurrere, S. Thomae posita de una forma in homine sententia. Singulare est aliquantulum eum, omissis S. Augustini locis qui tunc citari solebant, ad S. Gregorium M. potius confugere; est autem longior quem adducit locus ille ipse quem nos supra citavimus: «Carnem hominis lupus comedit... &.» Nonnihil etiam admirationis facit quod totum illud de anthropophagis prorsus relinquit, quum tamen nihil magis in vulgus objici soleret. Fortasse istud objiciendi genus omni vi pro theologo destitutum esse judicabat. Contra, alia urget metaphysica et abstrusiora, quae tuentibus in homine plures esse formas sunt praesertim excutienda atque solvenda.

E Patribus S. Dominici, qui exculti et informati sunt antequam B. Alberti M. atque S. Thomae doctrina ordo imbueretur, singulari mentione dignus est *Petrus de Tarantasia* († 1276), sanctus atque sapiens vir, primus ex ordine Patrum Dominicanorum qui in Cathedram Petri ascendit vocatusque est Innocentius V. In commentariis in IV libros Sententiarum de resurrectione agit brevi, illustri praecisaque saepe ratione[1]. In quaestione «An sit idem numero homo qui resurget», tranquille ac leniter duas enumerat sententias de una an pluribus in homine formis; neutri tamen, ad nostram rem quod attinet, primas partes

1. *In IV II. Sent. Comm.;* in IV, dist. 43, 44, q. I (Tolosae 1652).

concedere audet. Quod quidem mirum non est, quippe utilitas major, si quae est, in ea sententia reperitur quae formam unicam tuetur; Petrus autem de Tarantasia vix dum in hanc viam cursumque ingressus erat. Singulare est illud quod in ea quaestione minoris momenti: «quae quibusque membris sit reddenda materia», auctor noster contra id, quod Augustino attribuebatur, jam plane decernit. Scilicet Innocentius V asserit eam materiae partem minimum, quae necessaria sit *ad consistentiam speciei,* iisdem membris esse reddendam; reliquum posse confundi[1].

Doctores Franciscani extra spatium curriculumque thomistarum communiter vagantur; plerumque autem, veterum more, viam ingrediuntur *platonico-augustinianam*. Duas tamen species in his recte possumus distinguere. Etenim in *Seraphico Doctore S. Bonaventura* († 1274) praecipuum exstat ac praeclarissimum specimen veteris communisque doctrinae[2]. Vicissim *Scotus* († 1308) ad peripatum versus progreditur, cursu proprio atque animorum pleno; quamquam in hoc rationem eam adhibet quae aptior fortasse est ad disceptandum de aliorum dictis quam ad fundandam exstruendamque disciplinam. Uterque locum de identitate corporis resurgentis ad universae antiquitatis normam apertissime explanat[3]. Demonstrationis causa aliquid ex S. Bonaventura non parvae significationis ac vis afferamus. Velut in commenta-

1. Lc., dist. 43, q. unica, a. VII; dist. 44, q. I, a. 3.
2. Op. omn., t. X, *Dissert. de script. Seraph. Doct.* (Ad Claras Aquas 1902) p. 30 sqs.
3. Utriusque doctoris videri possunt *Comm. in Sent.,* in IV, dist. 43, 44 (q. I).

riis libri IV *Sententiarum,* exponens Seraphicus Doctor brevi quadam comprehensione sententiam, scribit *divina* esse *providentia* stabilitum ut corpus sive etiam quemadmodum supra ipse dixerat, *pulveres,* in quos recidit cadaver, rursus cum animo jungantur; ea tamen de causa quidquam in ipsis pulveribus inesse, quo ad resurrectionem referantur, ipse neque asserere neque negare audet. Addit autem: «...ideo *certum* tenentes, incertum profundioribus relinquamus»[1]. Singularem etiam vim habent illa quae ex commentariis S. Joannis, cp. XIX, sumuntur: «.....nobis contemnenda est sepultura propter fidem resurrectionis; quia credimus, quod ubicumque pulveres sunt dispersi, a Domino in unum colligentur nec effugient divinae cognitionis et virtutis potentiam»[2].

Etsi thomismo proximus ac S. Thomae amantissimus, separatim debet numerari *Aegidius Romanus* († 1316) ex Ordine Eremitarum S. Augustini. Incredibili quadam exstitit auctoritate docendi, dum vixit; tanta profecto ut in Capitulo universi Ordinis *lectoribus et studentibus omnibus* ejusdem, ut patet, Ordinis mandaretur «ut opiniones, positiones et sententias *scriptas et scribendas* predicti magistri nostri omnes» amplecterentur[3]. Elucet re vera in eo acerri-

1. Lc., dist. 43, q. V, a. 1 (ad finem); Op. omn., t. IV, p. 894 b. Videatur tota quaestio.

2. Op. omn., t. VI, p. 504.

3. «Quia venerabilis magistri nostri Egidii doctrina mundum universum illustrat, diffinimus et mandamus inviolabiliter observari ut opiniones, positiones et sententias scriptas et scribendas predicti magistri nostri omnes nostri Ordinis lectores et studentes recipiant, eisdem prebentes assensum, et ejus doctrine, omni qua poterunt sollicitudine, ut et ipsi illuminati alios illuminare possint, sint seduli defensores...» Capit.

mum ingenium, quod tamen adjunctorum fortasse temporumque causa aliquantulum fluctuat[1]. In XXVII quaestione *quodlibeti* V rem nostram Aegidius breviter ac dilucide explicat[2]. Dignus est qui notetur modus quo ille se expedit ex iis quae de anthropophagis multo sermone objici solent, quorum vim Aegidius ipse mirum quantum auget, *ponendo* eamdem materiam esse «de veritate humanae naturae in utroque», scilicet in anthropophago atque in eo cujus carnes sunt comesae. Atqui, etiam tum, *positoque* iterum audacter hujusmodi materiam nisi in uno non resurrecturam — quae duo lubrica sunt et ad negandum opus esse ut eadem materia animetur, proclivia valde — Aegidius tuetur aut conatur tueri non aliam cum alterutrius animo sed eamdem materiam cum utriusque animo junctum iri: «*Potest enim Deus hanc rem in hanc rem convertere*», &. Etenim, quemadmodum ait in suis egregiis *Theorematis de corpore Christi*, «Primum principium, quod est Deus summus omnipotens, potest convertere aliquid in aliud actu praeexsistens, quia immediate attingit materiam ut est quid»[3]. Negari nequit magnos re vera in nostro

habitum Florentiae anno 1287. Denifle-Chat., *Chart. Univ. Paris.* II (Parisiis 1891) n. 542, p. 12; cfr. n. 567, p. 42.

1. Mandonnet O. P., *Siger de Brab.* etc. c. IX, p. 248 sqs.
2. *Quodl.* (Bononiae 1481) fol. 70.
3. *Theorema primum.* Exemplar antiquissimum, quod cognoscimus ac bibliothecae Universitatis Barcinonensis proprium est, non habet notatum tempus; additum id est in *Quodlibeta* (Venetiis 1502). Titulus perfectus hic est: «Fundatissimi ac praeclarissimi Doctoris Domini Egidii Romani, Bituricensis archiepiscopi, ordinis Fratrum heremitarum S. Augustini, Theoremata de corpore Xti. feliciter incipiunt.» Tituli, quos Hurter designat *(Nomencl. litt.,* t. II, ed. 1906, col. 484), huic nostro accurate respondere non videntur.

auctore animos, ne dicamus audaciam, isto modo significari quo res objecta dissolvitur; melius tamen fortasse faciliusque fuisset, si de duobus illis quae ponebantur ad arguendum, non nihil animadversionis factum esset, antequam ad tam arduam notionem, quam vix possis cogitatione assequi, veniretur. Illud utique patet quam alte esset in Aegidii mente defixum quum veram esse communem sententiam tum... *necessario* defendendam, quandoquidem ad id efficiendum eas adhibet subtiles notiones atque sententias quibus, presso isto atque angusto modo acceptis, ne ad explicandam quidem *transsubstantiationem* plurimi theologi uti volunt.

Splendidam suffragiorum universitatem, quam per tredecim continua saecula commemorando saltem percurrimus, concludant duo magni viri nostrates. Quorum alter, ortus in oppido Subirats non procul ab urbe Barcinone annum circiter 1230 ac mortuus ad annum 1284, inter peritissimos linguae arabicae ac hebraeae christianos qui umquam exstiterint, eminet[1]; alter vero, decus est Majoricae atque ornamentum maximum, «especie de caballero andante a lo divino» (quomodo enim istud latine reddamus, non videmus), ardens amore, altissima atque magnifica quaeque spectans, in immensum semper intentus, vir tandem cujus in persona Pauli ipsius Apostoli lineamenta ac speciem quamdam expressam esse dixeris. Pronun-

1. Videatur brevis quidem, at docta ingeniosaque ingressio reverendi P. March, S. J., quae tum prodiit quum primo edidit ipse perfecte «Explanationem Simboli» (Barcinone 1910).

tiaverit jam lector nomina Raymundi Marti O. P. ac Beati Raymundi Lull († 1315).

Raymundus Marti in *Explanatione Simboli* clare et accurate de resurrectione agit, sed generatim ac parum definite, ad nostram quaestionem quod attinet. At non ita in *Pugione fidei*. Etenim, ut ibi ait, si carnis resurrectio negabitur, error aderit qui constituet «illam, quam philosophi adstruunt, trinitatem nequissimam», adversus quam «erit (ei) jam ex nunc fortius dimicandum»[1]. Nihil tamen est cur in Raymundi mente declaranda moremur. Etenim caput 26 ex prima parte «Pugionis», in quo nostra res agitur[2], nihil est aliud nisi capitum 80 et 81 ex libro IV S. Thomae «Contra Gentiles» verbum e verbo facta descriptio. Immutationes sunt propemodum nullae. Praecipua haec est: videlicet, in eorum locum quibus in capite 81 S. Thomas ad evertenda adversaria aggreditur, Raymundus Marti quaedam substituit ex Algazelis opere «De ruina philosophorum» sumpta. Itaque Raymundus Marti, magnus ille noster saeculi XIII apologeta, quum dogma de resurrectione carnis sibi defendendum suscipit, statuitque contra oppositum errorem «divini sermonis et fidei machinas erigere»[3], ad Doctorem Angelicum penitus confugit, cujus perpetua explicandi ratio in identitate materiae tota consistit[4].

1. Pars I, c. VI (Lipsiae 1687) p. 213.
2. L. c., pp. 253-258.
3. L. c., c. XXV, p. 252.
4. Negare non possumus eorum nobis probari sententiam qui non S. Thomam e Raymundo Marti, sed contra e S. Thoma Raymundum Marti descripsisse rentur. Probabilibus rationibus quas notandis temporibus

Fieri non poterat quin *Beatus Raymundus Lull* in quam plurimis suis scriptis saepe de resurrectione disputaret. Ergo, tum in operibus sapientioribus,

explicat P. Getino O. P. *(El Averroismo teol. de Sto. Tomás de A.,* Vergara 1906); prudentique indicio a P. Mandonnet O. P. *(Siger de Brab.,* part. 2, Introd., IV – 2.ª ed., Louvain 1908 — pp. XXVIII-XXIX) designato, firmam rationem addere nunc possumus quae ipsa sola rem totam obtinere videatur. Anno 1918 volumen XIII editum est illius *editionis criticae* quam SS. Leonis XIII jussu RR. PP. Sancti Dominici parant. Hoc volumen primos duos libros e «Summa contra Gentiles» complectitur habetque momentum illud maximum quod ea, quae continet, cum ipso autographo sunt collata ubi, etsi non integra Summa, plura tamen exstant capita vel perfecta vel saltem mutila. In his capita, quae S. Thomae ac Raymundo Marti communia sunt, reperire magna ex parte licet; sunt autem, ut id per transennam notemus, ea omnia fere ex quibus «Pugionis» prima pars constat, duobus aut tribus exceptis quae vix sunt aliud quam testimonia ex Algazel, Averroe, aliisque transcripta. Jam vero scire oportet ipsum autographum Summae plenissimum esse tum correctionum tum liturarum manu ipsa S. Doctoris qui, ut patet, rem scriptam limare non desistebat, quibusdam immutandis, delendis, addendis. Quae quum ita sint, si S. Thomas ex Raymundo Marti transcripsisset, capita utrique communia tot correctionibus non abundarent; correctiones enim ad eas fere deducerentur, utique paucas leviorisque momenti, in quibus uterque auctor inter se discrepat. Nequaquam ita est. Verum contra, Summae «C. Gentiles» forma postrema, quae post operosum laborem plerumque exsistit, horrida nonnumquam correctionibus liturisque congestis, ac per varios status ad exitum deveniens, illa est quae pura liquidaque fluit apud Raymundum Marti. Cfr. egregiam disputationem quam PP. editores voluminis XIII initio edendam censuerunt, in primis: 2.° *De autogr. vatic. Sum. C. Gent.* pp. VII-IX. In numero autem 3.° *De tradit.,* § II, p. XVIII haec leguntur: «Statim ac manuscriptum S. Thomae aspicis, ob iteratas redactiones tam intricatum, frustatum, lituris horridum, transpositionibus et remissionibus simile labyrintho, statim etiam intelligis quot et quantis errandi periculis interpretem exponat, etc.» Si lector suis ipse oculis rem videre volet sibique persuadere, legat in Appendice ejusdem vol. capita 63-71 ex l. I «C. Gent.» atque universam correctionum liturarumque silvam quae ibi signis litterisque variis indicantur (pp. 25*-30*); praeterea ex 1.ª parte «Pugionis» cc. 16-24 percurrat quippe quae illis accurate respondent. Animo attento opus est, nam interdum R. Marti quaedam argumenta omittit, interdum testimonia inculcat aliorum. Velut in c. 18, quod 65 Summae respondet, omittit R. Marti argumentum 4.um, 5.um, 7.um, 8.um, adjungit vero testimonium quoddam; in 19, quod 66 respondet, omittit argumentum 3.um. 4.um; atque ita simili pacto in aliis capitibus.

Possunt etiam alia argumenta urgeri, v. gr.: α) quod loci, de quibus est disceptatio, ejusdem naturae sunt ac reliqua Summae «C. Gent.» capita, ita ut totum quoddam perfectum, coagmentatum et ab initio ad

averroistas exempli causa oppugnans; tum in illis agentibus atque ad popularem intelligentiam accommodatis operibus ubi totum est simplex et amabile; tum denique in sermonibus cum filio, sensus amorisque plenis: Raymundus Lull in eas incumbit resurrectionis explicationes quae perpetua majorum Traditione nituntur[1]. Placebit sine dubitatione lectori aliquem a nobis locum, etsi brevem, adduci, non latine redditum sed proprio sermone loquentem, simplici illo et quasi candido dicendi genere, jucunde horridiore, quod priscae vetustatis sacrum aliquid, castum atque incorruptum sonare videatur. Exemplum seligamus ex libro *Felix de les Maravelles del Mon:* «Molt considera Felix en resurreccio, e maravellas com pot hom resucitar en aquell mateix esser e nombre que es, adonchs com mor; com sia lo cors corrumpable e sdevenga en pols sots la terra.» Sanctus eremita, quicum Felix colloquitur, quoddam illi pro resurrectione exponit argumentum. At Felix fortiter opponit

finem congruens efficiant; contra, apud R. Marti diversae sunt naturae illa, de quibus quaeritur, atque cetera — β) quod praeterea in omnibus S. Thomae scriptis elucet mirum ingenium, quod in his etiam, de quibus disceptatio est, satis significatur; contra, «Explanatio Simboli» opus est simplex etc., etc. Possunt, inquam, haec atque alia id genus urgeri; sed ea, quae supra dicta sunt, satis esse existimamus.

1. Alia testimonia complura possunt videri atque etiam haec: *Declaratio Raym. per modum dial. edita contra aliq. phil. et eorum sequacium opin. erron. et damnatas a v. P. D. Epis. Paris.*., c. XVII, apud «Beiträge zur Gesch. der Phil. des Mittelalt.», B. VII, h. 4 5 (Münster 1909) pp. 120-122. In hoc dialogo, Socrates philosophus acerrime urget argumenta contra resurrectionem, posita identitate materiae; Beatus vero Lull contra id, quod ponitur, ne verbum quidem profert, totamque mentis contentionem eo dirigit ut resurrectionem sive necessariam sive convenientem esse demonstret. — *Felix de les Maravelles del Mon,* part. 8, c. LXXI (ed. de J. Roselló, 1903) pp. 326-330. — *Doctrina pueril,* c. 12 (ed. den M. Obrador, 1906) pp. 27-28.

pervulgata illa quae objici saepissime solent: «Senyer, dix Felix, lo hom que les besties o los aucells o los peixs hauran menjat ¿com pora resucitar? Car la carn d aquell hom se convertira en la carn d aquelles besties qui l menjaran, e aquelles besties o peixs o aucells per diverses altres coses menjades seran, e enaxi del un en altre convertir se ha una carn en altra de C o de CC o de mes anys que haura que sera lo hom mort». Tunc eremita rationem prius expositam aliis novis fulcit ac roborat, quas post eleganti hoc simili utitur: «E encare lo ermita dix a Felix que un verme, de que s fa la seda, signiffica resurreccio, car aquell verme mor, e com es mort ix d ell un papallo qui engendra un verme semblant en specia al verme d on es exit lo papallo viu. On si natura ha en lo verme virtut e proprietat que de verme mort ix papallo viu, qui engendra semblant verme de aquell qui es mort, ¡quant mes Deus pot refer hom de pols qui sia estada de cors de hom, e pot ajustar un gra de pols ab altre, per luny que sia, com sia cosa que lo poder e la saviesa de Deu sia per tot lo mon!»[1].

§ II. Periodus altera

Ut adversarii reperiantur, ab Origene ad saeculum XIV progredi necesse est. Hoc ineunte saeculo, auctores duo sententiae, majorum Traditione nixae, repugnant. Etsi diversa sentiunt ac sapiunt, convenit tamen inter eos de certa explicatione quae, si praeci-

1. Lc., pp. 326-328.

pua lineamenta respexeris, ab Origenis explicatione aut vix aut non multum differt, illi tamen longe multumque praestat eo quod intra corpus seu systema, ut ajunt, thomisticum excogitata est atque formata, adeo ut prima specie ex puro thomismo orta esse videatur. Princeps eorum est Durandus († 1332 aut 1334), vir magni animi, nullis alicujus disciplinae certis destinatisque sententiis quasi addictus et consecratus; alter, S. Thomae discipulus multo fidelior, est Joannes Neapolitanus († c. 1327).

Durandus hanc quaestionem praecise aperteque proponit: «... supposito quod anima Petri fieret in materia quae fuit in corpore Pauli, utrum esset idem Petrus qui prius erat»[1]. Neque minus nitet claritate ac brevitate responsio: «... cuicumque materiae uniatur anima Petri in resurrectione, ex quo est eadem forma secundum numerum, per consequens erit idem Petrus secundum numerum»[2]. Duo pro se affert argumenta, alterum directum, alterum non directum. Argumentum directum idemque praecipuum potest sic premi: «Quum materia prima sit *pura potentia* (verbis his propriis nunc et posthac utamur necesse est), *omnis* actualitas inest ei a forma ac proinde ipse actus identitatis ac differentiae propter quem distinguere licet materiam a materia, hanc ab illa; ex quo illud exsistit materiam esse eamdem aut diversam, si forma eadem aut diversa formatur. Hoc posito, planum est ab animo Petri eamdem materiam semper

1. *In IV Sent.*, dist. 44, q. 1 (Antuerpiae 1566) fol. 395 v., n. 5.
2. Lc., n. 6.

animatum iri, idemque de quavis forma esse dicendum». Alterum argumentum non directum novitate sua nonnihil admirationis facit: «Si ejusmodi explicatio non admittitur, animal post confectum coctumque cibum non est omnino idem quod antea, ad ejus *essentiam* quod attinet; contra, si talis explicatio admittitur, animal vivum unum semper atque idem est». Quid ex his efficiatur, patet; haec nimirum Durandi explicatio fateri nos cogit hominis *substantiam* per totam vitam manere eamdem. Petrus quinque habens annos et Petrus habens nonaginta, ex eodem animo eademque semper materia constet necesse est. Gratulari sibi videtur Durandus de hac sua excogitata explicatione; ad extremum enim quasi gloriose addit: «... et secundum istam viam evaduntur multae difficultates... sicut est illa de costa Adae... et illa qua quaeritur si aliquis homo nutriatur ex carnibus alterius hominis...; secundum enim ea quae dicta sunt prius, non differt quantum ad unitatem materialem resurgentis, in quo talis materia resurgat, cum ipsa de se nullam entitatem vel unitatem vel pluralitatem habeat, sed omnia ista competunt ei per formam, quae, si eadem est, totum compositum erit idem»[1].

Joannis Neapolitani editae non videntur nisi 42 quaestiones selectae, hinc illincque ex universa theologia sumptae; editi non sunt commentarii in libros Sententiarum neque *quodlibeta,* in quibus de resurrectione agit[2]. Capreolus longa testimonia descripsit

1. Lc., fol. 396 r, n. 10.
2. Hurter, *Nom. litt.* II (ed. 1906), col. 537.

ac nobis reliquit[1]. Ut ex his perspicitur, Joannes N. post expositam rem in *quod.* 2, q. 6 similiter atque ea exponitur a Durando, eamdem simili etiam pacto, levibus quibusdam exceptis, dijudicat. Tres affert rationes: *Prima* eadem est atque Durandi ratio directa ac praecipua; *altera* eaque princeps, saltem ad Capreoli sententiam, locus est Augustini, in quo Sanctus hic dare videtur resurgentem hominem futurum eumdem, etsi ejus materia in nihilum interiret atque deperditae loco aliam resurrectionis tempore Deus ei concederet; denique *tertia* his S. Joannis Baptistae verbis continetur «Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae»[2].

Patet hos auctores nihil aliud contendisse, hac nova afferenda explicatione, nisi ut rem ac veritatem ipsam futurae resurrectionis explicarent, quo videlicet plura, quae in tota hac quaestione objiciuntur, melius faciliusque declinare possent. Hoc autem modo, post diuturnum decem saeculorum silentium, simillimae Origenis voci incipiunt in orthodoxiae spatiis voces significationesque resonare. Celebris Alexandrini doctoris vox inter clamores et convicia penitus extincta erat: Quid ergo futurum est acerrimae huic novaeque decertandi rationi, qua majorum sententiae nova opponitur explicatio tam simplex, tam plana, tam *philosophica,* cujus vox, vox ipsa Jacob videtur, scilicet vox *scholasticismi* maxime sani ac sinceri, vox ipsa Sancti Thomae?

1. In IV Sent., dist. 44, q. I, a. II (ed. Paban et Pègues O. P., Turonibus 1908) VII, pp. 55-56.
2. Math. III, 9.

Fortunate nobis contigit ut ad propositum nostrum, dogmaticum in primis ac theologicum, non jam necesse sit eo contendere ut plura testimonia congeramus quae nec multum lucis afferrent et, non necessaria ubertate, lectoribus multis poterunt exhibere molestiam. Connitamur potius ut lineamenta quaedam praecipua describamus breviterque notationes nonnullas hac ratione faciamus.

Ergo sit hoc descriptionis exordium: usque ad medium saeculum XIX auctorem orthodoxum, qui Durandi explicationem eodem pacto similive tueatur, cognoscimus nullum[1]. Hoc posito, illud, de quo quaeramus, occurrit: 1°. Potestne saltem ostendi remissio aliqua spiritus illius et acris contentionis quibus, ad saeculum XIV usque, majorum est propugnata sententia? — 2.° An concessio, levis saltem neque summam rei attingens, cogitationum Durandi aliarumve similium?

1.°

Ad *primum* quod attinet, tempus ante eam, quae *Reformatio* dicitur, a tempore post *Reformationem* distinguere necesse est. Saeculi XIV initia fecundam

1. Ipsa loquendi ratio nostram mentem aperte demonstrat. Ab hoc tempore, praesertim a saeculo XV, quaecumque ad hujus causae historiam afferamus, hoc modo restricte intelligantur: «quantum nos investigare potuimus». Nihil enim mirum erit quod, tam multis editis in lucem scriptis, aliquid eorum, quae potius historica sunt, corrigi debeat. *Historica* dicimus, videlicet quae spectant ad recentiores auctores; ea enim, quae ad antiquitatem spectant et dogmatica sunt, perseveramus tenere constanter.

periodum terminant in qua *scholasticismus* absolutionem attingere visus est. Duo proxima posteriora saecula de superiorum thesauris vivunt, nec stimulis urgentur novis, quibus incitata ad altiora contendant, si eam saltem theologiae partem spectamus quae documentis praecipue nititur. Quin imo, si ad hoc attendimus, possumus notare de Patrum evolutione sacrorumque monumentorum usu sensim pedetentimque auctores diminuisse quam plurimos. Ex quo exsistit et illud, Durandi explicationem via et ratione philosophica saepius quam antea refelli[1]; quo fit ut vera germanaque totius rei contemplandae ratio negligatur. Est praeterea aliud: his ipsis duobus saeculis, in quibus de spatio curriculoque theologiae aliquantulum deflectitur, ii duo scriptores antiqui exoriuntur qui majori cum benignitate de Durando loquuntur, tanta profecto ut, rem usque ad istud tempus inauditam!, ejus explicationi aliquid probabilitatis largiantur. Primus idemque benignior est *Petrus de Palude* († 1342). Qui de Durandi explicatione scribit: «...supposito quod in homine sit tantum una forma substantialis, si anima Petri fieret in materia prima quae fuit in corpore Pauli (dubitatur) utrum esset idem Petrus qui fuit prius. Et dicunt quidam *probabiliter* quod cujuscumque materiae uniatur in resurrectione, ex quo est eadem forma secundum numerum, per conse-

1. Videatur v. gr. Petrus Aureoli O. M. in IV, dist. 44, q. unica, a. I, p. 203, 204 (Romae 1605). Audiantur quaedam quae modum ostendunt quo solet arguere: «Haec positio distat multum ab intentione philosophi» (ib., p. 203, col. b) — «Sed haec opinio tollit quod materia non manet eadem in tota transmutatione contra omnem philosophiam» (ib., p. 204, col. b) — etc.

quens erit idem Petrus secundum numerum»[1]. Adjungit postea duo illa argumenta Durandi; quibus allatis, de Patrum explicatione continuo dicit: «Alii *communiter* dicunt &.»; et paulo post benignius etiam: «Si quis ergo velit sustinere secundam opinionem, quia *communior* est &.»[2]. Petrus Paludanus unus totum saeculum XIV benignus auctor invenitur, imo vero usque ad saeculum XIX maxime omnium benignus. Contra, severum est adversus Durandum id quod magni Capreoli verba videntur primo sonare: «... improbatio illarum rationum non sufficit, quia fundatur in hac falsa consequentia... Ista autem consequentia nullius est valoris». Dixerat Durandus, ut supra vidimus, in sua explicatione pluribus quae objiciuntur, nihil loci relinqui; ad quod respondet Capreolus: «... illae difficultates, licet evaderentur per illam viam, non tamen sine multo inconvenienti; et, dum evaderent unam, inciderent in multas alias difficiliores. Opinio autem communis S. Thomae evadit illas difficultates sine quocumque inconvenienti, ut diffuse patet per ipsum, &.»[3]. Quin imo, Paludanum sic citat ut verbum *communiorem* in *communem* convertat. «Si quis ergo velit sustinere communem opinionem»[4], scilicet, ut hispane dicimus «*la* opinión común». At ecce tibi in quadam responsione haec benigna sententia: «rationes oppositae partis (pars

1. In IV, dist. 44, q. 1.ª, fol. CXCIX r, col. b (Parisiis 1518).
2. Ib., fol. CXCIX v, col. a; fol. CC r, col. a.
3. In IV, dist. 44, q. I, a. III, ad arg. Durandi, ad 3.um et 4.um (ed. Paban, etc.) p. 59.
4. Ib. ad 1.um, p. 57.

opposita est ipsa Traditionis sententia) sunt *probabiliores*»[1]. Quibus verbis Capreolus Durandi explicationi probabilitatem concedere videtur; nisi forte verbo *probabiliores* alia notio eo tempore nonnumquam subjiciebatur, non ista nostra qua nunc uti solemus, ex qua fit apud nos ut, quum aliquam sententiam probabiliorem judicamus, hoc solo probabilem etiam videamur judicare contrariam.

Post Paludanum et Capreolum, nullum novimus auctorem orthodoxum atque benignum usque ad medium saeculum XIX[2]. Caritas haec magna indicium est non parvi momenti. Ingeniosae Durandi cogitationes iis ornamentis philosophicis prodibant in publicum quae vehementer pellicerent, eos praesertim

1. Ib. ad 3.um, p. 58. — In Capreoli summa, eleganter dilucideque a Soncinate confecta et ab Isidoro de Insolanis perfecta, omittitur integer locus in quo verba ista benigna reperiuntur: (Pauli Soncinatis, epitomes quaest. Joan. Capreoli super lib. Sent. pars altera, complectens l. III et IV, per F. Isidorum de Insolanis edita et multis in locis suppleta, dist. 44. q. I, concl. III, Lugduni 1580, p. 179). Integra dist. 44 opus est illius qui edidit (ib. p. 77).

2. P. Henricus Henríquez, vir eruditus, in *Summa theol. mor.*, quae primum in lucem edita est Salmanticae (1591-1593), non citat adversus Patrum sententiam nisi tres auctores: Origenem, Durandum, Joannem Neapolitanum, «negantes requiri ad identitatem ut resumatur eadem materia, quia sat est eadem anima» *(Summae Theol. Mor.*, ll. XV, l. ult. *de fine hominis*, c. XXVI, Moguntiae 1613, pp. 111, 112).

Non satis videmus Paludano et Capreolo an debeat adscribi P. Joannes de Salas S. J. († 1612). Scripsit ille quidem: «*Probabilius* autem judico, ad identitatem numericam hominis necesse esse ut aliquid materiae, quam habuit in hac vita, habeat etiam in resurrectione»; verum paulo antea idem auctor dixerat: «*certum*... mihi est non fore eumdem numero hominem simpliciter, si nihil habeat ejus materiae quam habuit in hac vita. Durandus autem etc.» (In I-II.ae, t. I, tract. 2, disp. 14, s. 12, Barcinone 1607, nn. 80, 81, p. 584). Profecto haec duo quomodo cohaereant difficile est videre; neque utile judicamus conniti ut investigemus utrum eorum alterum rem ipsam propius attingat, alterum potius mentem quamdam auctoris modumque rei exponendae.

quorum mens imbuta esset thomismo; erat illud praeterea tempus quum doctores catholici, jure meritoque gloriantes de excelso gradu in quem philosophiam extulerant, *philosophari* gestiebant; quae erat occasio ad hoc ut monumentorum auctoritatumque usus nonnihil negligeretur. Jam vero ejusmodi est nostra de resurrectione quaestio ut, si doctus et excultus animus a vera totius rei contuendae ratione vel tantulum aberrarit causamque intra philosophiae terminos continendam ac disceptandam putarit, Durandi explicationem aliasve similes conquirat longeque praeferat necesse sit. Ex quo, rerum eventus si quis animo praecipere voluisset, existimasset profecto fore ut major his temporibus daretur locus benignitati pluresque reperirentur ad Durandi opinionem sive accessiones sive accommodationes. Quapropter habet significationem quod eorum etiam qui sincerum maximeque germanum thomismum sectantur, nemo Durando plane assentitur unusque est, ad summum duo si Capreolus erit addendus, qui de Durandi opinione benignius loquatur. Denique ii tres theologi, qui de doctoris Scheeben sententia[1] et latius ingenio patent et auctoritates majori studio frequentant, videntur omnino velle ut se nosse Durandi opinionem nihil admodum appareat: *Sanctum Antoninum de Florentia* dicimus, *Dionysium Ryckel Carthusianum,* atque eum, qui suo tempore tamquam portentum habebatur, *Alphonsum Tostatum* hispanum: *(Hic stupor*

1. *Handbuch der Kath. Dogm.*, l. I, *zur Geschichte der Theol.*, § 58, n. 1066, (ed. 1927) t. I, p. 440.

est mundi, qui scibile discutit omne). Si S. Antoninus rem dedita opera non tractat[1], Carthusianus contra et Tostatus eam docte copioseque versant[2].

Duo in Durandum benigna suffragia, saeclorum XIV et XV flumine diluuntur eorumque vis et efficacitas non modo abunde compensatur verum etiam obruta paene exstinguitur cum plurium scriptorum, quibus plane notus erat Durandus, libero studiosoque silentio tum censoriis notis pungentibusque judiciis quae cum illo silentio saeculis posterioribus exoriuntur quum certaminis causa adversus *reformatores* multum operae multumque studii ponendum fuit, initio saltem, in accurandis atque etiam frequentandis Scripturae Traditionisque monumentis.

Eo controversiarum tempore scriptores duo immortaliter florent sanctitate eximia, scientia haud impari: *S. Petrus Canisius* († 1597) universae Ecclesiae Doctor, et *Btus. Robertus Cardinalis Bellarmino* († 1621) vir «ad catholicam fidem tuendam» divino numine electus; quorum auctoritates ut in primis afferamus, lectores nobis benevolo animo, utpote qui hos Sanctos singulari ratione colimus, sine dubitatione concedent.

«Mirabilis»[3] S. Petri C. catechismus eam doctri-

1. Mentem indicat in *Sum. theol.* p. IV, tit. XIV, c. XI (Lugduni 1529), pp. 148 sqs.

2. Ex Carthusiano videri possunt, exempli causa, In IV, dist. 43, q. I, in qua longa producit testimonia S. Thomae, Gulielmi Alverni, Henrici Gandavensis, Petri de Tarantasia (Innocentii V), aliorum *(Opera omnia,* t. XXV, Tornaci 1913, pp. 243 sqs.) — Ex Tostato videri possunt copiosae, quas habet, disputationes in Comm. S. Matth., de c. XXII *(Comm. in sext. part. Matth.,* Venetiis 1596, t. 23, praesertim p. 71 sqs).

3. *Act. Apost. Sedis,* 1925, p. 217.

nam exhibet qua germanorum catholica juventus alta pluribus annis educataque est[1]. De *Summa* vero *doctrinae christianae* ita Pius XI: «Dilucide et presse confectus, genuinum catholicum magisterium nusquam non exprimens, dici vix potest quantum ad clericos recte instituendos et ad errores refellendos hic liber ad nostra fere usque tempora juverit»[2]. Ergo in hoc libro Sanctus Doctor, symboli articulum undecimum sic interpretatur: «Corpus hoc quod fragile, caducum, multisque morbis et perpetuis aerumnis obnoxium et post mortem quoque vermibus exedendum circumferimus, tum reviviscet cum in extremo illo die mortui omnes, Xto. vocante judice, simul ad vitam et judicium excitabuntur»[3]. Cujus loci ut enucleet roboretque sententiam, apponit selectos Patrum locos: S. Hieronymi, S. Augustini, S. Gregorii M., quorum scilicet mens omni luce clarior cunctis esse videatur. Quin et cum de postremo judicio agit[4], adducit etiam illustrissimum S. Ephraem locum, quem

1. De utroque catechismo haec Leo XIII: «Uterque, ubi primum editus est, tantam catholicorum iniit gratiam, ut omnium fere manibus tereretur qui christianae veritatis elementa traderent, neque in scholis tantum, veluti lac pueris sugendum, adhiberetur, sed publice in communem utilitatem explicaretur in templis. Quo factum est ut Canisius per annos tercentos communis catholicorum Germaniae magister habitus fuerit, utque in populari sermone duo haec plane idem sonarent; Canisium nosse ac veritatem christianam retinere» (Encycl. «Militantis Ecclesiae»; *Leon. XIII, P. M. Acta*, ed. vat., v. XVII, 1898, pp. 251-252.

2. *Act. Apost. Sedis*, 1925, p. 354. — Praeclare de hoc eodem opere Leo XIII: «densum opus ac pressum, nitore latino excellens, Ecclesiae Patrum stylo non indignum.» Lc.

3. *Opus catechist. sive De Summa Doctr. christ.* etc.; I *de fide et symb.* XX (Coloniae 1586) pp. 37 sqs. — Ideo Summam hoc anno editam adducimus quia in ea exstant Patrum non solum citata sed etiam expressa documenta.

4. Lc.; V *de justit. christ., quatuor homin. novis.*, III, p. 727, n. 35.

nos supra citavimus. Nempe «vir catholicae fidei retinentissimus»[1], claritatem in ipsa claritate quaerens, Patrum locos expressit qui, omni prorsus discussa caligine, viam veritatis veritatemque ipsam luculentissime ostenderent.

Nec aliter B. Robertus Bellarmino, vir, si quis unquam, animo doctrinaque romanus et, si ita loqui fas est, romanissimus. Decorabantur quondam insignes magistri nominibus quibusdam, laudis honorisque plenis; alius «doctor solemnis», alius «doctor profundus» aut «illuminatus» appellabatur: Beatus Bellarmino «doctor romanus» seu etiam «pontificius» meritissimo potuit nominari. Ejus parvo catechismo, Romanorum Pontificum commendatione consecrato, imbuta est ad nostra fere usque tempora dioecesis romana aliaeque complures[2]; idem a Pio IX Patribus Concilii Vaticani ad exemplum praecipue demonstrabatur ut novus pro universo orbe catechesis libellus componeretur[3]. In eo Beatus Bellarmino dogma praecise accurateque definit, uberiores explicationes omittit; verum in altero copiosiore, haec minime ambigua pronuntiat: «D. Vorrei sapere, quaerit discipulus, se questi corpi

1. *Leon. XIII, P. M. Acta;* l. c., p. 249.

2. Cfr. Hurter *Nom. Litt.*, III, ed. 3 (Oeniponte 1907) col. 682 et not. 1 ubi affertur praeclarus locus ex Dom Guéranger. Anno etiam 1901 scribebat Leo XIII: «Venerabiles Fratres Nostri Episcopi Suburbicarii, ceterique Romanae regionis Antistites, cum in coetum convenissent, in eam unanimes ivere sententiam ut Catechismus, quem minorem aiunt, a Venerabili Cardinali R. Bellarmino compositus, iterum edatur typis... etc. Quoniam de eo libro agitur, quem saeculorum usus et plurimorum Episcoporum Doctorumque Ecclesiae judicium comprobavit: susceptum consilium, sanctum ac saluberrimum, placere Nobis etiam edicimus etc.» *Leon. XIII, P. M. Acta,* ed. vat., v. XXI, 1902, p. 180.

3. *Coll. lac.,* VII, 663-666.

stessi, i quali ora abbiamo, risorgeranno o pure altri simili?» «M. Non è dubio, che questi corpi stessi risorgeranno; perchè altrimenti non sarebbe vera resurrezione, se non risorgesse quell'istesso, che è caduto, e non tornasse a vivere quell'istesso che è morto...» Iterum percontatur discipulus: «D. Com' è possibile, che torni a vivere quello, che è stato abbruciato, e sparse le ceneri al vento e gettate in fiume?» Quibus ad Traditionis rectissimam normam ita respondet magister: «M. Per questo si dice nel principio del Credo, che Dio è onnipotente, perchè può fare quello che a noi pare impossibile. Ma se voi considerate che Dio ha fatto il cielo e la terra dal niente, non vi parrà difficile a credere, che si possa ridurre all'esser di prima quello che è ridotto in cenere» [1].

Testes adduximus celeberrimos duos catechismos S. Petri C. et Beati Roberti C. Bellarmino; tertium adjungemus qui nullo modo omitti potest, catechismum Concilii Tridentini (1566). His tribus adductis catechismis, quod est in eo genere optimum videbimur attulisse. Ergo aureus hic libellus, quem Summi Pontifices eximiis saepe laudibus extulerunt cunctisque parochis ad fidelium eruditionem vehementer commendarunt, ita parochos admonet: «Quum vero multum referat nobis certo persuaderi, hoc ipsum atque ideo idem corpus, quod uniuscujusque proprium *fuit,* quamvis corruptum sit et in pulverem redierit, tamen ad vitam suscitandum esse: illud etiam paro-

1. *Dichiarazione piu copiosa della dottrina cristiana...,* cap. III, dichiar. dell' art. 11; ed. Vives 1874, t. 12, p. 295.

chus accurate explicandum suscipiet» [1]. Accurata sane et insignis locutio. Sermo est de corpore quod *fuit* proprium; id autem corpus, quod *fuit* proprium, suscitandum est, quamvis *corruptum sit et in pulverem redierit.* Omnia proinde, quae ad corpus designandum pertinent, praeteritum tempus sonant; non inducitur temporis praesentis ambigua locutio. Itaque agitur de cadavere; cadaver videlicet demonstratur quod, sive integrum manebit sive dissipabitur, a Deo erit ipsum excitandum. Atqui ea loquendi ratione ostendi materiam eamdem animo rursus esse formandam, et saepe jam declaravimus et res ipsa clare loquitur.

Tres itaque illustrissimi ex Occidentis Ecclesia catechismi incorruptam Patrum universaeque Traditionis clarissime referunt vocem atque sententiam.

Ad alia nunc subtiliora procedamus. Sed antequam id facimus, rem notatione dignam prius dicendam esse judicamus: multorum scilicet non posse afferri adversus Durandum de industria factas hoc tempore accusationes, omnino quia, quum «Tractatio de Novissimis» locus sit ad quaestionem habendam maxime accommodatus, thomistarum clarissimi theologi, Magistro Sententiarum omisso, magna ex parte a saeculo XV operam dare aggrediuntur Summae S. Thomae interpretandae, qui, ut constat, vel sacramentorum partem imperfectam reliquit. Patet nihilo minus Traditionis sensum, data occasione, pluribus locis sponte sua erumpere, tamquam id quod inter omnes constat; exempli causa quum est sermo de re-

1. Pars 1.ª. c. XII, de 11 symb. art., n. 7.

liquiis aut de resurrectione Domini N. Jesu Christi aut de beata hominis vita. Quin, iis etiam locis in quibus vestigium nullum reperiri putaveris, occurrunt notationes quae sententiam Traditionis ostendunt; velut, quum anthropophagiam prohibitam esse demonstratur, haud raro id affertur argumenti, carnibus humanis edendis injuriam fieri resurrectioni aut impedimentum inferri. Ita, vir ille egregius *Franciscus de Victoria* O. P. († 1546) in libro seu *relectione de Temperantia* congerit adversus anthropophagiam argumenta quae magna vi et illustri brevitate exponit; eorum unum est: «Item fieret injuria resurrectioni, cum confunderentur corpora hominum»[1]. Breviter etiam eamdem rationem indicat *Venerabilis P. Leonardus Lessius* S. J. († 1623) quum disputat «Utrum aliquando licitum sit vesci carne humana»; scribit enim: «Tertio, Confunderetur (scilicet si liceret) magna ex parte distinctio corporum in resurrectione»[2].

Avet jam fortasse lector quaedam audire ex iis, quae supra diximus, censoriis judiciis et, ut patet, non e scotistarum auctoribus; hi enim quo pacto sint judicaturi, ex eorum opinionibus philosophicis cogitatione praecipere quivis potest: videlicet, aut de Durando ejusque tota sententia, quae thomistice or-

1. Adhibitum a nobis exemplar tempus, quo editum est, minime notat; deest illi praeterea in fine folium et fortasse princeps pagina; non paginae sed folia numerantur; folium citatum est 266 r.

2. *De just. et jure, ceterisque virt. card.;* l. IV *de temp.,* c. III *de gula* etc., dub. II, n. 9 (Antuerpiae 1617), p. 749 a. — Copiosius exponit hanc rationem idem Lessius quum disputat de mortuorum resurrectione: *De perf. moribusque divinis,* ll. XIV; l. XIII, c. XXI, n. 121: Parisiis ed. recens sine anni notatione, pp. 426-427.

natissima videtur, mentionem faciunt nullam aut eam, inusta censoriae severitatis nota, procul amandant.

Principio tamen, historicae imaginis instar extremis dumtaxat lineamentis depictae, illud in memoriam revocemus quod in ecclesiasticis scientiis, *exegesi, patristica, theologia scholastica,* progredientis cujusdam cursus a saeculo XVI exordium inducitur, qui post Tridentinum, circiter annum 1570, venit ad summum, stabilisque permanet splendida mirabilium operum effusa copia qualem fortasse numquam in Ecclesiae annalibus reperire possis, usque ad medium saeculum XVII, 1660; quo tempore germana theologiae mens atque vis sensim incipit a se desciscere, quamvis prioris salubritatis et gloriae lineamenta bene multa servet, languentia tamen, usque eo dum circiter annum 1780 brevi tempore deficit atque in nihilum fere occidit, unde non caepit stabili firmaque ratione emergere nisi elapsa jam saeculi XIX parte non modica, anno 1830 vel 1840.

His autem initio dictis, audiamus virum auctoritate gravem qui in ea praeparationis periodo floret quae pertinet ad 1570. *Dominicus Soto* O. P. († 1560) Concilii Tridentini lumen, vir in judicio ferendo moderatus et temperans, ita pronuntiat: «Unusquisque debet in eodem corpore resurgere in quo vixit, quod non solum sit ab extrinseco idem: nempe quod ab eadem informetur animeturque anima rationali: verum quod ex iisdem pulveribus et elementorum partibus sit reformandum, in quas fuit resolutum. Haec conclusio non est tam expresse de fide quam prima; nihilominus non potest non *temeritatis* nomine, *imo*

forte pejori denotari qui illam diffiteretur»[1]. Pejorem hanc et acerbiorem notam Durando postea inurent auctores qui jam ad theologiae excellentissimam gloriosissimamque periodum pertinent, alterum fere medium saeculum XVI primumque medium saeculum XVII comprehendentem. *Estius* († 1613) in egregiis commentariis in libros Sententiarum opinionem Durandi notat tamquam *erroneam:* «Postremo cavenda est hoc loco Durandi quaedam *singularis* et *erronea* opinio»[2]. Ejus successor cathedrae, notus ac nobilis thomista, *Sylvius* († 1649) eodem utitur accusatorio judicio: «respondeo istam Durandi opinionem esse *erroneam*»[3].

Insignia sunt haec aspera judicia; verum fortasse non minus eminet contemptionis gestus qui expressus et illustris exsistit intuentibus in annos a 1660 ad 1780, quibus certae cujusdam stabilitatis tempus continetur, gloriosum quidem etiam tunc multisque nominibus praedicandum, si praesertim documentorum locus attenditur, sed id tamen quod jam pedetentim ruere videtur. *Calmet* O. S. B. († 1757) exegetarum hujus temporis fortasse princeps, et Cardinalis *Gotti* O. P. († 1742), nobilis inter aequales theologus idemque germanus thomista, disserunt illi quidem copiose et subtiliter de resurrectione; mirabitur tamen nonnihil lector cognito eorum neutrum velle quasi aliquid scire de Durando: atque id quidem, etiamsi Calmet tum va-

1. In IV, dist. 44, q. unica (Salmanticae 1560); p. 440 a.
2. In IV, dist. 44, § 3 (Parisiis 1662), p. 198 a.
3. In sup. S. Thom., q. 79, a. 1, ad 10 (Antuerpiae 1714), p. 768 a.

riis locis, quum Scripturam interpretatur, quaestionem tractat vel attingit, tum etiam semel de industria disputationem texit «De mortuorum resurrectione» [1]; Cardinalis vero Gotti rem multum enucleat, minutis etiam non paucis congestis quae tamen breviter exponit[2].

E magno viro aliquid nunc promamus, qui, si gallicanismo infectus non esset, inter praeclarissimos scriptores ecclesiasticos, dixeris fere inter ipsos Ecclesiae Patres, quasi novus ipse Pater consedisset; Episcopum Meldensem appellamus *Jacobum Benignum Bossuet* († 1704), qui Traditioni maxime addictus, tum aliorum Patrum tum in primis Magni Augustini magnus et ipse discipulus fuit. Splendida ejus oratio de postrema resurrectione haec habet: «Quand donc cette heure dernière sera arrivée, à laquelle Dieu a résolu de réveiller les élus de leur sommeil, une voix sortira du trône et de la propre bouche du Fils de Dieu, qui ordonnera aux morts de revivre. «Os arides, os desséchés, écoutez la parole du Seigneur:» *Ossa arida, audite verbum Domini.* Au son de cette voix toute-puissante qui se fera entendre en un moment de l'orient jusqu'à l'occident, et du septentrion jusqu'au midi, les corps gisants, les os desséchés, la cendre et la poussière froide et insensible, seront émus dans le creux de leurs tombeaux; toute la nature commencera à se remuer; et la mer, et la

1. *Proleg. et Dissert. in omnes et sing. S. Script. II.;* ed. Mauri (Lucae 1729) t. II, p. 241 sqs. — In *Diction., hist. etc. S. Script.* (Venetiis 1734) «Resurrectio» Calmet consilio non satis prudenti nihil aliud facit nisi in minutis haeret.

2. *Theol. sch.-dogm. juxta mentem D. Th.,* t. III, in III p. et sup., tract. XV, q. V, dub. I et sqs. (Venetiis 1781), p. 625 sqs.

terre, et les abîmes se prépareront à rendre leurs morts qu'on croyait qu'ils eussent engloutis comme leur proie, mais qu'ils avaient seulement reçus comme un dépôt pour le remettre fidèlement au premier ordre. Car, mes Frères, «Jesus qui aime les siens, et les aime jusqu'à la fin», prendra soin de ramasser de toutes les parties du monde leurs restes toujours précieux devant lui. Ne vous étonnez pas d'un si grand effet; c'est de lui qu'il est écrit qu'il «porte tout l'univers par sa parole très-efficace». Toute la vaste étendue de la terre et les profondeurs des mers, et toute l'immensité du monde, n'est qu'un point devant ses yeux... Et lui, qui a bien su trouver nos corps dans le néant même d'où il les a tirés par sa parole, ne les laissera pas échapper à sa puissance au milieu de ses créatures... ainsi il saura bien ramasser les restes dispersés de nos corps qui lui sont toujours chers... et qui sont toujours gardés sous sa main puissante en quelque coin de l'univers que la loi des changements ait jeté ces restes précieux. Et quand la violence de la mort les aurait poussés jusqu'au néant, Dieu ne les aurait pas perdus pour cela; car «il appelle ce qui n'est pas avec la même facilité que ce qui est»: *Vocans ea quae non sunt tamquam ea quae sunt.* &. &.»[1]. Splendidissima haec sunt, sed multo magis de media Traditione deprompta: veneranda Patrum voce augustisque eorum sensibus tota personant.

Supra Calmet, supra Gotti et Bossuet, supra ce-

1. *Commém. des morts, La Résurrect. dernière; Oeuvres compl.* (Bar-le-Duc 1862) t. 2, p. 23.

teros omnes hujus periodi scriptores extollitur et eminet quum vitae sanctitate tum judicii constanter orthodoxi moderatione atque sapientia *S. Alphonsus M.ª de Ligorio* universae Doctor Ecclesiae († 1787). Sanctus hic Doctor eo procedit ut de resurrectione disserens Durandum citet; erat, ut patet, maxime tunc idonea oportunitas; totam nihilo minus *doctoris resolutissimi* de identitate corporis opinionem alto silentio praeterit, universas vero tradit explicationes, posita constanter sub oculis antiqua Patrum majorumque sententia[1].

Haec post, incipit theologia in humile delabi ac paene in nihilum interire. Ex obscuro, in quo permixtae agitantur et fluctuant tum sobriae et in theologia sanae sententiae tum impurae aliae per jansenismum, gallicanismum, *philosophismum* invectae, exstant solum atque eminent illustria quaedam nomina, praeteriti potius temporis reliquiae. Utique, quemadmodum erat sperandum, opus majoris momenti per totam hanc periodum, «fast das einzige ganz correkte und allen falschen Zeitrichtungen mit klarem Bewustsein und grosser Entschiedenheit entgegentretende Werk»[2], nimirum *Institutiones theologicae Liebermann*[3], ad Patrum acerrimam normam de resurrectione agunt; praeterea ne semel quidem Durandum commemorant.

1. *Opera dogm.*, ed. Walter SS. R., t. II, tract. VIII, diss. V, p. 560 sqs. (Romae 1903).

2. Scheeben, lc.; §. 59, n. 1111; p. 458.'— Cfr. Hurter *Nom. litt.*, t. V, col. 919-922.

3. T. II, l. 7, c. III (Moguntiae, ed. 8, 1858), p. 816 sqs. — *Institutiones* Liebermann primo editae sunt Moguntiae 1819-1827 (Cfr. Hurter, lc.).

Verum illud est vel maxime singulare quod ipsi apologetae, etiam tum quum adversus philosophorum ludibria pugnare debent, in explicatione tamen a Patribus accepta perseverant. Certe nihil tam planum videri poterat quam quod illi, quibus pugna contra philosophos suscipienda erat, horum irrisionem et contumelias superarent, iis armis adhibitis quibus se Durandus armaverat, utpote quorum esset tam facilis usus atque expeditus. Quum Voltaire, captionibus illis et quasi praestigiis renovandis quae semper novae et semper veteres sunt, quaerebat: «Un soldat breton va en Canada; il se trouve que par un hasard assez commun il manque de nourriture; il est forcé de manger d'un Iroquois qu'il a tué a veille. Cet Iroquois s'était nourri de jésuites pendant deux ou trois mois; une grande partie de son corps était devenue jésuite. Voilà le corps de ce soldat composé d'iroquois, de jésuite et de tout ce qu'il a mangé auparavant. Comment chacun reprendra-t-il précisément ce qui lui appartient? et que lui appartient-il en propre?»[1]: quum ista quaerebat Voltaire, responderi illi potuit omnem ejus dicacitatem omnesque jocos fundamento carere, quandoquidem in resurrectionis causa nihil admodum intererat utrum haec an illa materia rursus animaretur. Neque enim tunc primo Traditionem reliquissent sed alias saepe illius temporis apologetae, ut communes quasdam sententias mitigarent, ingressi erant vias novas, quibus

1. *Diction. phil., résurrect.* sect. IV; *Oeuvres compl.* t. 19 (Paris 1876), pp. 265-266.

insistere majores nostri numquam sibi licere judicaverant. Vel ii etiam apologetae qui maxime orthodoxi praedicabantur, ut Bergier et Feller, constat profecto quantum variis in quaestionibus theologiam a pristina severitate laxarint: exempli causa in quaestione de infidelium salute, de inferni igne, de aliis etiam. Et tamen neque *Bergier* († 1790)[1], neque *Feller* († 1802)[2], ut omittamus egregium *Muzzarelli* († 1813)[3], neque ullus alius eorum aequalis apologeta, *quantum nos scimus,* statum, in quo majores perpetuo constiterunt, derelinquere ausi sunt. Quemadmodum Sancti Patres corpus resurgens futurum esse idem propugnarunt ideo quia eadem rursus materia cum animo jungetur neque ad eas faciles et expeditas explicationes de membrorum aequabilitate lineamentorumque corporis umquam confugerunt, sed in illa defendendi ratione adversus gentilium irrisiones et ludibria constantissime perstiterunt: ita saeculum XVIII catholici apologetae contra novos istius saeculi gentiles, nequiores etiam atque astutio-

1. Quum alia opera videri possunt nobilis hujus apologetae, tum *Diction. de théol. dogm. liturg.*, etc. «Résurrect. génér.», t. IV (1851) quod edidit Migne in *Encycl. théol.*, t. 33.—In opere *Traité hist. et dogm. de la vraie Relig.*, etc. (1870) disputans Bergier de mortuorum resurrectione, eadem fere illa scribebat quae postea 1788 in *Diction.* edidit. Unum animadvertimus: pauca quaedam, minus accurate dicta, quae protulerat Bergier in priore opere, penitus in posteriore delevit.

2. *Catéch. phil. ou recueil d'observ.*, etc. quatrième édition corrigée et considérablement augmentée (Paris, chez les libraires associés, 1804); t. III, l. 4, ch. V, a. VI, nn. 464-472, pp. 71-91.—Hoc exemplar citamus, quia valde rarum est, ita ut ne in longa quidem exemplarium descriptione, quam fecit Sommervogel, reperiatur (Biblioth. de la C. de Jésus, III, nouv. éd., 1892). Exemplar est bibliothecae Universitatis Barcinonensis.

3. Videri potest opusc. 17 ejus operis *Il buon uso della Logica,* etc. (Fuligno 1787-1789).

res, de summa ipsa quaestionis plane cum antiquitate senserunt neque ab hoc majorum statu fixo fundatoque discedere fas sibi esse putaverunt.

Eorum quidam neque opiniones fere inenodabiles reformidant ut maneat Patrum sarta, tecta, integra sententia. Feller, exempli causa, non apparet commoveri etiamsi ad illud esset confugiendum quod jam nonnulli veteres scholastici excogitaverunt et quo nihil fere dici posse videtur difficilius: «distincta aliquot corpora ex una eademque materia simul posse constare»[1]. Hujus auctoris verba digna sunt quae afferantur quia iis omnino patet quantum essent duo haec in ejus mente colligata aut potius unum effecta: resurgendum esse eodem corpore et resurgendum esse eadem materia, eo videlicet modo quo saepe rem explanavimus. Post quinque notationes, una excepta prudentissimas, hanc demum, quasi postremum perfugium, adducit: «6.° Fallût-il reconnoître l'existence d'une seule et même matière dans plusieurs corps, cette supposition ne seroit point aussi déraisonnable que le mépris d'une vérité appuyée par toutes les lumières de la révélation et liée étroitement au dogme consolant de l'immortalité. Mais, encore une fois, cette reproduction, quoique très possible, est ici absolument inutile. — Celui qui a créé le monde, qui par la vertu de sa parole a tiré du néant toutes ces parties de la matière qui forment notre corps, ne peut jamais les perdre de vue: qu'elles soient séparées et dispersées en mille endroits du monde, qu'elles soient cachées

1. Ita v. gr., Aegidius Romanus, de quo supra diximus.

dans les abîmes de la mer ou dans les entrailles de la terre, qu'elles aient servi de nourriture aux plantes, aux animaux ou aux hommes, qu'elles se soient introduites dans une infinité d'autres substances, elles ont toujours été sous sa main et sous ses yeux, elles ont toujours été présentes à son intelligence infinie: il saura bien en empêcher l'aliénation, et les conserver à leurs premiers possesseurs; malgré les transformations qu'elles ont éprouvées dans la révolution de plusieurs siècles, il saura les recueillir, les rassembler, et les réunir pour en former ce même corps que la mort avoit détruit..... Nier la possibilité de notre résurrection future, ce seroit donc méconnoître l'étendue infinie de la toutepuissance et de la connoissance de Dieu, ce seroit nier son existence»[1]. Egregie ille quidem! Ita omni tempore Sancti Patres Ecclesiaeque Doctores posteris tradiderunt.

2.°

Veniamus ad id de quo agere *secundo loco* nobis proposuimus: demonstrarine potest, tenuis atque exigua saltem neque ipsam rei summam attingens, concessio opinionis Durandi aliarumve cogitationum similium? Non loquimur de qualicumque varietate; nam variari quaedam inter auctores manifestum est, neque ab omnibus eadem omnino dilucida accurataque rerum expositio postulari potest. His notatis, aliquid con-

1. Lc., § II, n. 467, pp. 77-78.

cessionis, quamvis timidae, reperire nobis videmur commemoratione dignum.

Atque in primis apud *Guilelmum Ockam* († 1349-1350). Permirum quippe fuisset quod nominalismi «Venerabilis inceptor» nullum reliquisset in hac quaestione vestigium. Ockam illud quidem vehementer urget causam praecipuam operum, quibus meremur, voluntatem esse quae una semper eademque permanet; ad solam etiam voluntatem praecipuum beatae vitae praemium, quo scilicet Deo fruimur, pertinere; ex quo elicit parvi referre utrum in hoc an in alio corpore praemiis afficiatur voluntas. Quae tamen omnia nihil impediunt quominus teneat corpus idcirco futurum esse idem quod praecipuarum partium materia nequaquam, omnino saltem, fluit atque renovatur; adjungit nihilo minus, si esset integra materiae renovatio, corpus neutiquam idem esse permansurum: «Quantumcumque fieret novum corpus per augmentationem et diminutionem, quia tamen partes speciales[1] et principales manent eaedem sicut cor, &., propter identitatem illarum partium potest dici idem corpus, sicut prius in bruto, *et aliter non*»[2]. Teneamus memoria haec postrema verba et ad illud veniamus quod de identitate corporis mortalis ac corporis resur-

1. Partes *speciales* vel secundum speciem non sunt idem atque partes *formales*, si id, quod adhibet Ockam, loquendi genus spectamus. Audiantur ejus definitiones: «... philosophus intelligit per partes materiales non materiam sive formam; sed per partes materiales intelligit partes quibus non competit agere; per partes secundum speciem intelligit partes quibus competit agere. Primae partes fluunt et refluunt, secundae non» (*Super 4 ll. Sent. annot.* etc., Lugduni 1495; l. IV, q. XI, resp. ad 3.um arg. 2.ae opin. — folia numerata non sunt).

2. Ibid, ad Dub. II.

gentis Ockam sibi ad extremum objicit: est exemplum illud quo fingitur unus aliquis qui «nutritus ex carnibus humanis generet alium hominem». Principio regulam iterat qua usus erat ad superiora adversaria evertenda; ad cujus normam, praecipuorum, quae comesa sunt, materia membrorum in eo resurget cujus primo fuit. At rursus ipse sibi objicit: alia ex alia per plurimos annos orta progenie, fieri potest ut praecipuis multorum hominum membris una eademque sit reddenda materia; tunc vero cuja erit? Ockam fictum hoc exemplum non rejicit; ait autem fore ut Deus materiam, quocumque modo volet, partiatur; adjungit tamen eam fortasse in eo solo resurrecturam cujus membrorum praecipuorum fuerat primo[1]. Hanc responsionem si cum iis verbis junxerimus, quae supra adduximus: «corpus futurum esse idem eo quod partium praecipuarum eadem materia permaneat *et aliter non*», exsistet illud quod ab Ockam statuitur tamquam lex communis, scilicet ob iteratam animi cum eadem materia, ex parte saltem, junctionem, fore ut homines iisdem corporibus resurgant; nonnumquam vero extra ordinem fore ut in corpore resurgente nihil sit materiae quae per vitam illi adhaeserit, ac proinde ut aliquis eodem corpore non resurgat. Quae est conclusio male audiens ac temeraria quam, negato uno aut altero ex assumptis quibus est in illam compulsus, facile Ockam declinare potuisset. Tamen quum ejusmodi conclusionem hic auctor non adhibeat nisi ut legis exceptionem, dici etiam potest Ockam

1. Ibid. ad Dub. IX.

explicationes, excepta imprudenti quadam concessione, ad summam quod attinet, intra majorum spatia curriculumque decurrere[1].

Alia prorsus ratione ac via quibusdam cogitationibus earum similibus, quae Durando placuerunt, non nihil dare videtur nobilis quidam saeculi XVI theologus, *P. Gregorius de Valencia* S. J. († 1603). Exstat apud Gregorium de Valencia summa quaedam enuntiationum, quae subtiles simul ac mirae non possunt non videri. Primum acriter Durandum accusat *(Erravit Durandus intolerabiliter)*[2]; at nequaquam de eo de quo ab aliis communiter accusari solet, sed ideo quia negat rem, quae ad nihilum recidit, posse eamdem omnino de nihilo rursus fieri ac praeterea affirmat satis esse ad resurrectionem si idem animus cum eadem materia iterum jungatur[3]. Ergo quid ille vult amplius? Corporis identitatem, at suo modo ex-

1. Fortasse non longe abest ab Ockam «doctor Illuminatus» *Franciscus Mayron* O. M. (1325-1327), etsi ejus responsum ad eamdem rem fictam obscurum exsistit, utpote brevissimum. Nihil dicit nisi haec verba: «Ad tertium *difficile* videtur quod totum novum corpus oporteat fieri; sed identitas est quoad animas». E quibus breviter dictis erui videtur, dato illo exemplo ficto atque *difficili*, futuram esse animorum identitatem, corporis vero diversitatem seu *novitatem (In IV Sent.*, dist. 44, *Tertio quaer.*, ad 3.um — Venetiis 1507 — fol. 49 v.).

2. *Comm. theol.*, t. IV, disp. XI, q. 3, punct. III (Lugduni 1619) col. 1763.

3. Identitas materiae, de qua hoc loco P. Valencia loquitur, ea nobis videtur intelligenda quae aut est identitas ad mentem Durandi aut identitas eo saltem modo quo scholastici dicunt materiam primam esse *unam*, ac proinde *eamdem in omnibus corporibus*. Hanc postremam significationem P. Valencia ostendit quum, Durandum refellens ea ratione qua solent plurimi, scl. Durandi e sententia concludi metempsychosim esse veram resurrectionem, haec scribit: «... alias ex migratione animarum ex aliis corporibus in alia... contigisset vera resurrectio eorumdem hominum; siquidem... superesset eadem anima hominis antea mortui, etc., *eadem ubique esset materia prima quorumcumque corporum* (Ibid.).

plicatam: «Quae corporis *identitas* requirit omnino easdem dispositiones ultimas materiae ad animam, per quas materia prima habeat peculiarem habitudinem ad hanc animam informantem hoc corpus, atque adeo reddatur materia haec secunda et designata huic formae». Ejusmodi vero identitas postulatne materiae identitatem? Nequaquam. Quia... «diligenter animadvertendum est, non aliter oportere intelligi et defendi, quod idem homo numero, qui antea vixit, resurrecturus et revicturus post mortem sit, quam constat jam, unumquemque hominem dum hanc vitam degit in alia licet et in alia sui aetate, et aliis quantumlibet atque aliis accidentibus affectum, esse eumdem numero. Est autem quoad haec et alia in uno et eodem homine, dum vivit, magna varietas. Nam unus et idem homo aliter se habet cum est puer, aliter cum est juvenis, vir et senex... Ac praeterea etiam non semper retinet easdem partes primae materiae... Et tamen non obstante hac omni varietate unus et idem homo est quisque per totam vitam, hoc ipso nimirum quod retinet et eamdem numero animam et eamdem praeterea determinatam rationem unius et ejusdem corporis humani, connexam nimirum cum eodem temperamento nativo qualitatum et accidentium, quo continentur dispositiones ultimae ad hanc numero animam, atque adeo etiam peculiaris habitudo materiae ad illam, qualescumque tandem sint partes hujus materiae per supra dictum fluxum et refluxum...»[1]. Si ad haec P. Valencia nihil amplius addidisset, tempus, quo

1. Ibid., cols. 1764-1765.

nova vox adversus Traditionem emissa notaretur, tribus retro saeculis designari deberet. Verum P. Valencia, his quae supra dixit minime contentus, temperationem adhibuit qua intra spatium Traditionis satis contineri videtur, tametsi apparet ejus mentem ad alias quasi dirigi nonnihil diversas cogitandi rationes: «Dixi etiam notanter resurrectura corpora justorum integra quoad omnes partes corporis; non autem dixi quoad omnes partes materiae... Quamquam ordinarie quidem, hoc est, plerisque omnibus resurrecturis eaedem etiam materiae partes restituentur, ut communiter tradunt Theologi» [1]. Explicat deinde singula exempla per identitatem materiae, communibus usus explicationibus, quamquam, ut corporis identitatis vim ipsam rationemque tradat, ad suam illam interpretationem philosophicam, qua nihil sit necesse eadem ex materia corpus resurgens constare, sive tacite sive etiam aperte et ipsis verbis, quod erat consentaneum, confugit. Accedit demum P. Valencia ad exemplum difficillimum, quod multos antiquorum theologorum torsit; est illud exemplum fictum ac paene ridiculum anthropophagi cujusdam, qui nisi carnes humanas nihil praeterea comederit, ortus vero fuerit a parentibus anthropophagis qui vicissim nihil per totam vitam nisi carnes humanas comederint. Ad hoc saltem fictum explicandum exemplum, suamne explicationem excogitavit P. Valencia, habetque eam sepositam ac praeparatam? Non satis liquet[2];

1. Ibid., col. 1767.
2. Ibid., col. 1768. Dicimus non liquere, quia hoc etiam loco videtur indicare tractam a generatoribus materiam in hoc anthropophago esse

quidquid autem dicitur, id erit fortasse summum quod debeat concedi: etsi P. Valencia det resurrectionem communiter esse futuram ita ut cum animo rursus eadem materia copuletur, tamen de ejus sententia fieri potest ut, aliquando extra ordinem, resurrectio aliter contingat, neque ob eam causam desinat homo eodem corpore resurgere.

Dixerat antea Ockam resurrecturos esse communiter homines idcirco iisdem corporibus quia illa materia, quae totum mortalis vitae tempus eadem permansit, animo rursus adhaerescet; adjungebat tamen fieri interdum posse ut resurgentium unus aliquis ex eadem materia non constaret, ac proinde fieri etiam posse ut idem iste *aliud habens corpus* resurgeret. Valencia cautiori consilio asserit homines resurrecturos esse, eadem semper sine ulla exceptione habentes corpora, eamdem etiam plerumque seu communi lege materiam; sed fieri nonnumquam posse ut resurgant eadem quidem habentes corpora, *aliam* vero *materiam*.

Atque hae sunt, quas usque ad saeculum XIX timidas concessiones memoria dignas reperire potuimus. Patet communem scholasticorum consensum iis nondum vere infringi. Ut itaque brevi complectamur: Durandus et Joannes de Neapoli remanent duo auctores solitarii. Si semel aut iterum benevolo animo refelluntur, multo saepius graviter ac seve-

resurrecturam eamque solum fore novam quae adjungatur: «Quod si ponas aliquem per omnem vitam... etc., cui proinde nihil materiae superfuturum sit, cum materia, quae *per nutritionem et accessit,* aliis quorum primo fuit, restituetur, respondeo etc.» (Ibid., col. 1768).

re judicantur aut gestu contemptionis arcentur aut voluntaria oblivione et taciturnitate obruuntur. Rarissimae etiam sunt vel eae concessiones quae, rei summam non attingentes, in levibus dissident; semper autem tum hac tum illa ratione firmiter atque constanter ad Traditionis sensum *lex communis* tenetur: videlicet omnes iisdem corporibus idcirco resurrecturos quia ea materia, quam antea aluit formavitque animus, eidem rursus in resurrectione reddetur.

Tertiam eamdemque postremam periodum breviter tandem adumbremus.

§ III. Periodus tertia

Saeculo XIX

Post Durandum ab ineunte saeculo XIV ad ipsum medium saeculum XIX progrediendum nobis est ut veterum sententiae adversarios intra orthodoxiae spatia invenire possimus[1]. Extra enim, multum jam defluxerat temporis ex quo asperi contra dicentium clamores audiebantur. Anno 1723 *protestans* Thomas Burnet despicientis in modum interrogabat: «Quid tua aut mea interest, sive easdem habeamus particulas sive alias non minoris dignitatis et virtutis? vel quid fiat ab exuviis nostris et cadaveribus, dummodo habitemus

1. Cfr. notationem proximam superiorem p. 150, ubi hujus nostrae affirmationis aliarumve similium vis declaratur ne superbiae aut temeritatis jure meritoque damnemur.

in luce et inter angelos?»[1]. Deinde vero impudenter potius quam libere plura adversus Traditionem argumenta contorquebat: a) inepte asseri negotio corporum ex eadem materia fingendorum divinam Omnipotentiam implicari; «circa rem inutilem occupare non licet summam Dei potentiam»[2]; b) perfectam materiae renovationem ex qua «plura gessimus corpora in hac vita secundum decursum aetatum»[3]; c) seriem formarum quarum aliis ex aliis eadem materia formatur ut corpora tum haec tum illa constituat, quippe «sumus omnes ἀλληλοφάγοι, alter alterius pascimur reliquiis. Non quidem immediate, sed post aliquot transmutationes in herbas et animalia, in illis herbis et animalibus majores nostros comedimus vel eorum aliquas minutias»[4], &., &. Sancti Patres parum ei obsunt de iisdemque tamquam de paribus ferme loquitur. Denique ut Scripturae testimoniis se expediat quae, si verborum vis spectatur, sententiam Traditionis firmant, notat «aliam esse doctrinam arcanam sive hypothesim rationalem, aliam vulgarem in hoc argumento»[5]. Burneti libro turbarum aliquid et quasi tempestatis esse excitatum significare videtur studium

1. *De statu mort. et resurg. liber...* Autore (sic) Thoma Burnetio, S. T. P. Londini: 1723, c. IX, pp. 201-202.
2. Ib., p. 211.
3. Ib., pp. 205-206.
4. Ib., p. 212.
5. Ib., p. 216. «Secundum hypothesim (ait) litteralem Scripturae, idem corpus quod cecidit, resurrecturum est; idem cadaver quod jacet in sepulchro, proditurum est; ad vocem Christi vel ad sonitum tubae, mare ejiciet mortuos suos, terra suos, itidem et quodlibet elementum aut regio hujusce mundi inferioris, quae absorbuerat et recondiderat cadavera in apricum proferet... Haec mihi videtur idea Resurrectionis in sacris litteris maxime obvia et vulgo quidem accommodatissima. Quam ideo *hypothesim vulgarem* appellare licet.» Ib.

quoddam catholicorum illius libri refellendi atque, ignominiae inusta nota, sepeliendi[1].

Verum multo majorem vim multoque majorem efficacitatem opus quoddam celeberrimum habuit quod circiter medium saeculum XVIII exortum est, cujus, tamquam maris tum sana tum in primis perniciosa continentis, turbidis *encyclopaedismi et incredulitatis* fluctibus Europa tota redundavit. In Encyclopaedia, quae a Diderot et D'Alembert anno 1751 edi coepta est, locus «de resurrectione», quantum assequi conjectura possumus, a Diderot tractatur; et quidem tali parente dignus est filius. «Les Chrétiens croient en général la Résurrection du même corps identique, de la même chair et des mêmes os qu'on aura eu pendant la vie au jour du jugement. Voici deux objections que les philosophes opposent à cette opinion avec les solutions qu'on y donne»[2]. Objicitur primum perpetuus materiae

1. Florentinus Querci, ex iis notis quas ad *Hexaemeron* Pisidae ipse apposuit ediditque iterum Migne (MG 9, 1425 sqs.), in nota ad versum 1481 lectorem rejicit tum ad quosdam Sanctos Patres, qui Pisidae argumenta de resurrectione tradunt explicata, tum etiam ad amici sui Joannis Lami librum: «Deliciae eruditorum, seu veterum ἀνεκδότων opusculorum collectanea» (Florentiae 1736 sqs.). Itaque, ut ait Querci, Lami in suo libro non solum veterum haereticorum errores refellit, «sed et Burnetii famigeratissimi inter Anglos hominis argutias vel potius deliramenta contra resurrectionem corporum e mortuis funditus evertit» (MG 9, 1546 nota). Ex Lami contra Burnet «nostrae aetatis hominem..., magis philosophum quam theologum agentem etc.», cfr. in opere citato t. II, 1739, p. 149 sqs. — Theologi quoque acriter de Burnet judicabant vel ipsum etiam posterius medium saeculum XIX. Exempli causa, Knoll de Bulsano O. C., post adductos alios protestantes auctores nullo singulari apposito accusatorio judicio, scribit: «Burnetus in suo *pravo* libro de statu mortuorum et resurgentium...» *Instit. theol. theoret.*, pars V, *de Deo omnium consummat.*, sect. III, c. I, a. II, § I, 826, n. 3 nota.

2. *Encycl. ou Diction. raisonné des scienc., des arts et des métiers par une société de gens de lettres,* mis en ordre et publié par Mr... T. XIV, Aneufchastel 1765, p. 197.

circuitus quo de corpore transfertur in corpus; deinde universae in eodem corpore materiae renovatio. Omittamus ad id, quod primum opponitur, responsionem quae est responsio falsa, insidiosa et ad irridendum aptior quam ad tuendum resurrectionis dogma. Sed diligenter notemus responsionem ad alterum, quippe quae deinceps in multorum animis atque in ore versabitur: «On peut répondre à cela sur les principes de M. Locke que l'identité personnelle d'un être raisonable consiste dans le sentiment intérieur, dans la puissance de se considérer *soi-même* comme la même chose en différents temps et lieux. Par là chacun est à soi ce qu'il appelle *soi-même,* sans considérer si ce *même* est continué dans la même substance ou dans des substances différentes. L'identité de cette personne va même jusque-là; elle est à présent le même *soi-même* qu'elle était alors, et c'est par le même soi-même qui réfléchit maintenant sur l'action que l'action a été faite. Or, c'est cette identité personnelle qui est l'objet des récompenses et des punitions et que nous avons observé pouvoir exister dans les différentes successions de matière; de sorte que pour rendre les récompenses ou les punitions justes et raisonnables, il ne faut rien autre chose si non que nous ressuscitions avec un corps tel que nous puissions avec lui retenir le témoignage de nos actions»[1].

Hoc modo *protestantes* atque *philosophi* majo-

1. *Encycl. ou Diction. raisonné des scienc., des arts et des métiers par une société de gens de lettres,* mis en ordre et publié par Mr... T. XIV, Aneufchastel 1765, p. 197.

rum sententiam clamoribus et conviciis insectabantur; satis tamen sero eorum clamoribus aliqua orthodoxorum, quae audiri potuit, vox resonare coepit. Fortasse turbulentis illis temporibus, quibus theologia jacuit, postremos dicimus saeculi XVIII viginti fere annos, saeculi vero XIX triginta circiter priores, pestiferae istae opiniones privatim serpere foverique coeperunt, ac praesertim praeparatum est solum ut exsisterent publice. Quum, longo post temporis spatio quo magnam partem extinctum erat cum Traditione commercium ac proinde amissa fundamenta quibus germana theologiae fabrica sustineretur, nova renovandae doctrinae studia novique impetus mentes animosque pepulerunt et de faece ac putrido se extulit ingens apologetarum copia, quorum erant multi theologiae cultura destituti: tum denique intra orthodoxiae terminos voces peregrinae identidem mitti coeperunt quae certe tamquam imago non resonabant Patrum majorumque sententiae.

Gallia. — Scriptorum fecunda parens, Gallia maximam effudit eorum copiam qui Traditionis sententiam oppugnarunt. Eorum princeps, quantum investigando consequi potuimus, fuit celebratissimus ille *J. P. Migne* in duobus Catechismorum voluminibus quos anno 1842, notationibus appositis, ipse edidit[1]. Primum volumen a celebri Patris Feller S. J. catechismo philosophico exorditur. In eo Feller Traditionis sententiam magna vi tuetur dilucideque explicat.

1. *Catechismes philosoph., polem.* etc. de Feller, Aimé etc., annotées et publiées par M. L. Migne, éditeur des *Cours complets* sur chaque branche de la science ecclésiast., t. I, Paris 1842.

Neque tamen nostro Migne defensionis ratio atque explicatio placuit, in earumque locum, sicut identidem facit, aliud quiddam a se confectum substituit atque supposuit[1]. Verum Migne non erat theologus; quamobrem magna opus est indulgentia ut eorum, quae dicit, nonnulla interdum orthodoxe interpretemur. Utamur tamen hac indulgentia; et, quidquid est de quibusdam sententiis in quibus solam identitatem *specificam* decernere videtur, illud solum expressum constitutumque designemus, eamdem materiam ad corporis resurgentis identitatem nullo prorsus modo a Migne postulari. «Ainsi, inquit, le nouveau corps, substitué à celui qui le précédait et revêtu de propriétés différentes n'empêchera pas la parfaite identité de l'homme, quand bien même il n'y entrerai pas un atome de la matière qui composait le corps terrestre»[2]. Tandem aliquando post longum saeculorum silentium, certa quaedam orthodoxa vox adversus Traditionis sententiam mittitur. Infesto casu, id est tantummodo initium. Migne ejusmodi sententiis

1. *Catechismes philsoph., polem.*, etc. de Feller, Aimé, etc., annotées et publiées par M. L. Migne, éditeur des *Cours complets* sur chaque branque de la science ecclésiast., t. I, Paris 1842, cols. 373-380. Discutiendae rei causa planeque expediendae, R. P. Motherway S. J., theologiae Professor in Universitate Missouriana S. Aloysii, plura catechismi Feller volumina, diversis temporibus edita, quae servantur in Belgio et in Gallia, praesertim in bibliotheca Nationali Parisiensi, magna diligentia, majore etiam caritate investigavit et expendit. Itaque tum alia, aliis temporibus edita, cum iis, quae apud Migne leguntur, contulit, tum illa etiam quae immutavit Comitissa de Genlis (Paris 1820) et varia quae edidit Paul de Mont in quibus auctoris opus dicitur correctum multaque addita ex schedis non editis ipsius Feller etc. Totius investigationis summa haec est: magnam, quae apud Migne legitur, immutationem propriam ipsius Migne esse.

2. Ibid., col. 375.

aditum januamque patefecit ita ut Dictionaria et quaecumque opera ederet, tota iis paterent. In omnes illos *Cursus, Patrologias, Collectiones* et *Dictionaria,* tamquam in magnum flumen, variae maxime confluxerunt diversaeque sententiae: sanae ac nocentes, severae continentesque et liberae ac solutae, orthodoxae ac nonnihil etiam sapientes heterodoxum. Quod idem in nostra quaestione accidit.

Velut in annotationibus ad Georgium Pisida, graecum poetam, accusatorio atque acri modo notantur quae adversus Patrum sententiam Burnetus objecerat[1]; in prima serie encyclopaediarum iterum editur *Dictionnaire* noti apologetae Bergier[2], concluditque alteram seriem confectum a *Jehan Dictionnaire apologétique* qui hac in re apologetam Bergier accurate exprimit[3].

Contra vero alia ex parte influxerunt complures de resurrectione sententiae a Traditione prorsus aberrantes, heterodoxae quoque. Anno 1843 eduntur *Demonstrations Evangéliques;* in iis autem locus datur tum aliis tum etiam heterodoxis explicationibus Bonnet[4]. Octo post annis, 1851, Dictionarium Bergier intra edita opera Migniana collocatur; sed illius explicationi longa nota a *Pierrot* apponitur[5]. In qua

1. MG 92, 1546 nota.
2. *Diction. de théol. dogm. liturg.,* etc., «Résurrect. génér.», t. IV, 1851.
3. *Diction. apol. ou les scienc. et la phil. au XIX siècle dans leurs rapports avec la Rév. chrét.* etc., «Résurrect. des corps», t. II, 1855.
4. *Recherch. phil. sur les preuv. du christian.,* c. I, II; videatur c. XXXIII, col. 561, not. 2. Opus Bonnet exstat in t. II ex *Démonstr. evangél.,* col. 453 sqq.
5. Lc., cols. 170-174.

enumerantur variae seu opiniones seu *hypotheses* ad identitatem corporis mortalis ac resurgentis explicandam; de istis una tenet corpus futurum esse idem «sans avoir une seule des molécules qui lui ont déjà appartenu». Sano tamen consilio idem Pierrot ad extremum addit: «Cependant, si l'on voulait ne tenir aucun compte des opinions que nous venons d'exposer, on peut encore concevoir que le corps ressuscité pourra être formé de parties même matériellement identiques à celles qui l'ont déjà composé. En effet, lorsque le corps se dissout, ses parties se désunissent, les éléments dont chacune d'elles était formée se séparent, ils forment des composés nouveaux, mais aucun de ces éléments n'est anéanti... Ainsi la main divine, qui forma du limon de la terre le corps du premier homme, pourra-t-elle à plus forte raison réunir et rétablir les divers éléments qui ont déjà constitué ce corps et qui n'ont pas cessé un seul instant d'être présents à sa divine sagesse»[1]. Post haec pulchra, affert Pierrot caput 88 Enchiridii S. Augustini: aliquando tandem voces aliquot Traditioni resonuerunt!

Anno 1853 editur *Dictionnaire des Apologistes involontaires*[2]; maxime longae explicationes Traditioni adversantur, cujus Traditionis mens vix per quoddam nostri Sabunde testimonium, non satis planum, quod suum facit Montagne[3], verecunde emergit. Audimus

1. Lc., nota (cols. 173-174).
2. *Diction. des Apol. involont.*, par M. C.-F. Chevé. t. I, II, 1853; t. 38, 39 ex altera serie Encycl. Migne.
3. Lc., t. II, «Résurrect.», col. 1047, 1048.

ibi Diderot resurgentis corporis identitatem nobis explicantem *sur les principes de M. Locke*[1]; audimus Leibnitz[2], Bonnet[3], &. Et, quod sane est pejus, *Chevé,* qui testimonia ista congessit, heterodoxis Bonnet commentis haec verba inculcare non dubitat: «Ici le savant naturaliste prouve par les faits, &.; et il développe alors ses profondes et magnifiques hypothèses sur la résurrection»[4].

Longe etiam progreditur *Le Noir:* diligens hic et assiduus adjutor Migne scrupulis non urgetur; satis expeditus ac liber in aliis causis, idem perseverat in nostra. Dicit in *Dictionnaire des harmonies de la raison et de la foi,* 1856[5], de humani corporis natura ad interpretandam resurgentis corporis identitatem tres haberi explicationes. Ut poterat conjectura capi, nec de S. Thoma neque de doctrina scholastica materiae ac formae ulla fit mentio. Tres illae sunt explicationes Descartes, Leibnitz atque explicatio Berkeley! «exposée avec autant d'esprit que de franchise»[6]. Le Noir formidare non videtur *extremos,* ut sic loquamur, *subjectivismos* Berkeley; cujus in opinione, inquit, cuncta, quae corporis identitati opponuntur, ne significationem quidem ullam habent. Neque id est totum, sed ea identidem ex ejus stylo im-

1. *Diction. des Apol. invol.,* par M. C.-F. Chevé, t. II, «Résurrect.», cols. 1045, 1046.
2. Col. 1048.
3. Cols. 1049-1058.
4. Col. 1053.
5. Vol. unic., «Résurrect. de la chair (La)». II *La résurrect. devant la raison,* V, col. 1477 sqs.; t. 19 tertiae seriei Encycl. Migne.
6. Ibid., col. 1477.

prudenter excidunt quibus nisi identitatem *specificam,* nihil aliud affirmare videatur[1].

Hoc tempore, 1855, *H. Martin* opus *La vie future*[2] editum est. Liber in auctoris laude poni debet, viri exculti planeque catholici; sed omnino non est opus quod theologum ostendat. Primum nostra in re Martin Traditionis sententiam tamquam satis plausibilem breviter proponit; deinde copiose diligenterque exponit mirae cujusdam opinionis commentum quae vivi corporis identitatem explicat instrumento *principii,* nescio cujus, *identitatis* «qui persiste... dans le corps humain à travers toutes les phases de son existence, et qui constitue à la fois la nature spécifique et l'individualité des corps vivants»[3]. Hoc principium seu vis, quae ab humano animo est diversa, intra materiam vivit, eamque gubernat atque hac ratione corpus quum contineat, propriis illud signis ac notis perpetuo obsignat. Consequuntur aliquot paginae in quibus conjectura variisque indiciis qualitates demonstrantur istius principii aut *ce je ne sais quoi, indéfinissable pour nous,* quod, ut videtur, est *impondérable* quidem, verum *matériel*[4], *et il est vraisemblable... qu'il réside dans un organisme subtil, inaccessible à nos observations*[5]; imo, ut ex indiciis quibusdam veri simile videtur, cum hominis morte non interit,

1. Vol. unic., «Résurrec. de la chair (La)», II *La résurrect. devant la raison,* V, col. 1478; t. 19 tertiae seriei Encycl. Migne.
2. *La vie future suivant la foi et suivant la raison* par Th. Henri Martin, 2 éd., Paris 1858.
3. Ibid., ch. VIII, § 3, p. 481.
4. Ibid.
5. Ibid., p. 484.

sed manet, fortasse cum animo junctum, fortasse non &. &.[1]. Hujusmodi admirabiles explicationes poterant eo tempore probari iis etiam qui theologiae speciem prae se ferebant.

Et re quidem vera, tribus post annis, 1858, tertiae encyclopaediarum Migne 38 volumen apparet[2]. In hoc novo Dictionario ejus auctor *Carolus Berton* ad hanc totam de resurrectione causam illustrandam nihil aptius invenit quam ut Henricum Martin describat ad verbum. Descriptum idemque longissimum testimonium singulari hac laude concluditur : «L'éminent auteur réfute encore plusieurs objections contre la résurrection, et présente sur ce mystère des vues profondes. Notre but sera atteint si, par les citations qui précèdent, nous avons décidé nos lecteurs à acheter et à propager le livre de *La vie future*[3] ».

Migne, Pierrot, Chevé, Le Noir, Martin, Berton, non sunt illustria in theologia nomina, ne quid amplius de quibusdam ex iis addamus. Neque multo sunt illustriora Baguenault de Puchesse[4], Bautain[5],

1. *La vie future saivant la foi et suivant la raison* par Th. Henri Martin, ch. VIII, § 3, pp. 484-486, 2 éd., Paris 1858.

2. *Diction. du parallèle entre diverses doctr. phil. et relig. d'une part, et la foi cath. de l'autre,* t. uniq.

3. Ibid. «Résurrect.», col. 1147.

4. *L'immortalité,* part. III, c. IX, 1868.

5. *Les choses de l'autre monde. — Journal d'un philosophe,* oeuvre posth., Paris 1868, pp. 373-374. Bautain tamen plane animadvertit se tamquam philosophum agere: «... philosophiquement, car ce n'est plus le théologien qui vous parle...» p. 373. — Hunc librum novimus per R. P. M. Viller S. J., Historiae Eccl. professorem Enghien in Belgio scriptoremque valde accuratum, qui alia praeterea e sua egregia eruditione benignissime nobiscum communicavit.

D'Hauterive[1], Pioger[2], Cauly[3], quorum nonnullis ne locus quidem est datus intra amplas regiones liberalis et hospitalissimi Hurter.

Altius tamen se extulit recentiorum explicatio et quidem eodem saeculo XIX. Orator quidam eloquentissimus, ipse videlicet *R. P. Lacordaire O. P.,* in quadam de Eucharistia oratione plane decernit corporum resurgentium identitatem solius formae identitate explicari[4]. Per transennam tamen quasi praetereuntes hoc addamus: alius orator, si non tam eloquens at certe theologus multo robustior, R. P. Monsabré O. P., non multis post annis, ex ipsa Nostrae Dominae Parisiensis cathedra negat Durandi explicationem ab ullo sano theologo posse defendi, eamque asseverat Traditioni Ecclesiaeque doctrinae adversari[5].

Praeter Lacordaire et alium satis nobilem oratorem, *Mgr. Besson*[6], tres quatuorve saeculo XIX scriptores Galliae maxime illustres qui de Traditionis

1. *Grand catéchisme de la persév. chrét.,* part. I, § II, leç. 33, n. 14, pp. 530-533, 5 éd., Paris 1880.

2. *La vida después de la muerte,* por L. M. Pioger y traducida por V. F. y V., c. X, pp. 123-128, Barcelona 1875; describit fere totam notam ex Pierrot.

3. *Curso de instrucción religiosa,* por Mr. Eugenio E. Cauly, traducido de la 4.ª ed. francesa por el P. Pablo Drinot SS. CC.; 2.ª part. *apologética cristiana* I, c. X, a. 2.º, 117, pp. 260-262, Santiago de Chile, 1896.

4. Non potuimus integram orationem legere solumque novimus locum quemdam citatum ab Oswald in *Eschatologie,* s. III, c. 2, § 5, p. 306, Paderborn 1893.

5. *Conferencias de Ntra. Sra. de París. — Exposición del dogma católico. — La vida futura,* por el M. R. P. Monsabré O. P., traducida por un religioso de la misma Orden; anno 1889, *Confer.* 101, p. 146; et in notis ad *Confer.,* nota ad *Confer.* 101, p. 214, Vergara 1895.

6. *Les mystères de la vie future,* confér. ann. 1873 et 1874; confér. 8, pp. 189-190, Paris 1878.

curriculo deflexerunt, hi numerantur: notus *P. Gratry*, ejus quondam adjutor *Mgr. E. Méric, Mgr. Freppel* et qui post hos tres scripsit canonicus *Duilhé de Saint-Projet*. Ex iis Gratry et Méric fortius judicant atque decernunt.

P. Gratry, theologia non satis excultus, quod Vaticani Concilii tempore cum ipsius dedecore nimis patuit, opinari videtur nostrorum corporum semen quoddam manere post mortem, ab eo autem, divina vi excitato et quasi ad vitam seu ad actum revocato, eadem quae habuimus corpora, nihil interest qua materia, refectum atque formatum iri[1].

Mgr. Méric, qui fortasse melior erat theologus, principio quum resurrectionem exponit ac tuetur, sola Durandi opinione uti videtur[2]; verum deinde de corporum caelestium gloria disputans, identitatis principium appellat de eoque mira dicit, eadem fere atque Martin[3]. Habet tamen magnam significationem vel illud solum quod in hac tota quaestione nulla Patrum testimonia P. Gratry et Dominus Méric excutiunt aut etiam afferunt; praebent se suorum aequalium dictis rumoribusque attentissimos auditores: venerandae Traditionis vocem videntur audisse nullam.

Dominus Freppel submissius loquitur, quum tamen unus emineat inter eos quos supra citavimus, devium iter habentes a Traditione seclusum. Si res ad

1. *Filosofía del Credo*, por A. Gratry, sacerdote del orator. de la Inmac. Concepc., traducido por F. de T., diál. 7: *La vida eterna*, III, pp. 233-236, Barcelona 1865.
2. *L'autre vie*, l. III, c. IV, éd. 11, p. 62 sqs., Paris 1920.
3. Ib. c. VI, n. IV, pp. 114-115. — Cfr. etiam c. IV, n. II, p. 71.

vivum resecatur, Freppel Traditionis sententiam non oppugnat, imo vero eam recentioribus inventis praestare non dissimulat; verum tum recentiorum tum majorum sententiam in liberarum opinionum gradu collocat, aut etiam meras *hypotheses* vocat[1].

Eodem modo judicat Duilhé de Saint-Projet, qui hac in re nihil fere facit nisi Domini Freppel explicationes notationesque transcribit[2].

Quum, inclinato jam saeculo XIX, gallorum theologica mens tum in aliis tum in nostra etiam quaestione coepit se colligere vereque, ut ita dicamus, theologa esse, clamores quoque adversus majorum sententiam remitti coeperunt usque eo dum fere extinguerentur. Per interjectos annos inter 1842 et 1873 maxima fit oppugnatio; ab hoc tempore languescit; denique ab anno 1885 usque ad ejusdem saeculi finem, quae sit memoria digna vix ulla Patribus contraria vox mittitur.

Belgium. — Apud belgas gravissimus fortasse auctor, cui recentiora non displicent, Dominus *Laforêt* est, Universitatis Lovaniensis Rector. Apologeta hic *principio illo identitatis* delectari videtur quod eodem pacto explicat atque Martin cujus longum affert testimonium. Sano tamen consilio, post tam miram explicationem allatam, statim addit: «Allons plus loin, quelle impossibilité y a-t-il que le corps réssuscité soit formé de parties même matériellement iden-

1. *Les apol. chrét. au deux. siècle,* cours d'éloq. sacr. 1859-1860, leç. 9, éd. 3, pp. 199-202, Paris 1887.
2. *Apologie scient. de la foi chrét.,* par le Chanoine F. Duilhé de S.-P., part. 4, c. XXI, § V, pp. 472-473, éd. 2, Paris-Toul. 1885.

tiques à celles qui l'ont déjà composé?»[1]. Adducit autem ex Waterkeyn cum alia tum etiam haec verba: «Ainsi la main divine, qui forma du limon de la terre le corps du premier homme, pourra-t-elle à plus forte raison réunir et rétablir les divers éléments qui ont déjà constitué ce corps et qui n'ont pas cessé un seul instant d'être présents à la divine sagesse»[2].

Van Weddingen in elaborato opere *Les éléments raisonnés de la Religion* primum quidem, anno 1875, generatim sed plane secundum Traditionem scripserat; postea brevem locum interposuit qui, etsi aliquantulum est obscurus, satis tamen indicat mentem cum Traditionis sententia parum congruentem; quandoquidem, ut ex eo concludi videtur, satis est ad identitatem corporis resurgentis eas notas manere quibus mortale corpus signatur atque distinguitur[3].

Germania et Austria. — E Germania et Austria nullos novimus per totum saeculum XIX nisi duos scriptores qui extra spatia Traditionis excurrant. Uterque notus exsistit, diversis tamen nominibus. Alter nobilis est ille apologeta *Franciscus Hettinger*[4]. Het-

1. *Les dogmes cathól. exposés, prouvés et vengés des attaq. de l'hérés, et de l'incred.*, par J. Laforêt, Chan. honor. de la cath. de Namur, l. XXVII, t. IV, c. II, § II, p. 386, Bruxelles 1859.

2. Ob hoc testimonium videri potest Waterkeyn Traditionis sententiam tenere. Tamen, quoniam ejus scripta non novimus, id affirmare non audemus; eo praesertim quod nonnulla habemus indicia contraria. Exempli causa, Berton in *Diction. du parallèle*, antequam longum, ut diximus, operis H. Martin locum transcribit, haec ait: «Nous nous proposions de citer ici deux beaux travaux de M. Devay et de M. Waterkeyn sur la résurrection; mais M. Henri Martin *les ayant résumés et complétés...*, etc.». Lc., col. 1137. Fortasse Waterkeyn adhibebat utramque explicationem.

3. Lc., part. III. c. XIII, § X, n. 111, p. 419, éd. 11, Bruxelles-Paris 1885.

4. *Apología del cristianismo*, por el Dr. F. Hettinger, traducida

tinger nostrum argumentum strictim solum attingit, paucisque verbis affirmat corpus ab animo, qui necessario est unus, esse idem. Contra, scriptor alter Traditionis explicationem aperte et acriter oppugnat. De ejus sententia tunc solum materiae identitas ad resurrectionem jure postulatur, quum materia principium *individuationis* esse defenditur. Quod, ut ille ait, falsum est; nam in animantibus ratione praeditis *individuationis* principium ille ipse est actus quo animantia sunt atque *subsistunt* illaque *personalitas* qua animus novit se esse *hunc actualem* «*Ego*». Ergo, ait, si idem animus sui conscius quavis cum materia iterum jungetur, idem exsistet homo. Ex altera parte auctoritas ecclesiastica nihil umquam de materia, tamquam *individuationis* principio, constituit, solumque attendit identitatem *actualis* «*Ego*» ejusdemque conscientiam identitatis[1]. Tam novis istis decretis scrupulus et suspicio quaedam jam ab initio injicitur de scriptore qui haec profert gravitate tanta; et re quidem vera liber, in quo mirabilia ista continentur, quamquam non propter illa, in Indice tamen est; ejusdem vero auctor est suspectus ille theologus dubiaeque famae Hermann Schell.

Verum saeculo XIX exemplum commemoratione maxime dignum Germania suppeditat. *Henricus Oswald,* «theologus veneratione dignus» ut ait Hurter[2],

bajo la dirección de D. Nicolás M. Serrano, t. II, conf. XXXIV, p. 395, Madrid 1876.

1. *Katholische Dogmatik,* von H. Schell, III, pp. 844-850, ed. 2, Paderborn 1893.

2. *Nom. litt.,* V, col. 1915.

scripserat in sua *Eschatologie* [1] explicationem R. P. Lacordaire de corporis resurgentis identitate sibi non displicere; novimus jam explicationem quae eadem est atque Durandi explicatio. Oswald istud concedebat anno 1868, et, dum iterum ac tertium Eschatologiam edidit, in eadem concessione permansit. At vero, anno 1877 *Josephus Bautz* insignem monographiam edidit quae inscribitur *Die Lehre vom Auferstehungsleibe*[2]. In hac monographia, documentorum plena ex quinque praesertim Sanctorum Patrum primis saeculis, Bautz novam Patris Lacordaire explicationem, cujus Oswald erat particeps, acerrime notabat ac vituperabat. Si res, aiebat Bautz, ad theologiae atque dogmatis normam examinatur, haec Patris Lacordaire opinio paucorumque praeterea theologorum ac philosophorum recentium *non solum tamquam error theologicus sed etiam tamquam error dogmaticus* explodenda est, quippe quae tum Ecclesiae Sacrarumque Scripturarum perspicuae doctrinae tum etiam cum ea maxime consentienti Patrum ac theologorum doctrinae apertissime repugnat». Hujus loci ne vel littera ulla pereat, nam testimonium est viri qui nostram in quaestionem totus incubuit, germana ipsa verba jure optimo sunt afferenda: *Vom theologischen und dogmatischen Standpunkte aus* ist diese Ansicht Lacordaire's und einzelner anderer Theologen und Philosophen der neuern Zeit unbedingt nicht blos als theologischer, sondern als dog-

1. Sect. III, c. 2, § V (quum primum, iterum, tertium edidit).
2. *Die L. vom Auf. nach ihrer positiven und speculativen Seite,* von Lic. Joseph Bautz, part I, sect. 1-2, Paderborn 1877.

matischer Irrthum abzuweisen, da sie mit der klaren Lehre der Kirche und der h. Schrift, wie auch mit der ganz übereinstimmenden Lehre der Wäter und der kirchlichen Theologen sich im entschiedensten Widerspruche befindet» [1].

His legendis Oswald vehementer perturbatus est atque commotus; itaque altero post quam Bautzii liber apparuit anno, 1879, quum suam Eschatologiam iterum ederet, festinavit ut se de priore *laxa* sententia decessisse in vulgus indicaret, neque tamen sibi cum Bautz de tam severo et acri judicio convenire. Haec est illius aperta atque ingenua confessio: «Für meine Person sage ich mich nunmehr von jener *laxern* Auffassung (so nannte ich sie) entschieden los. Denn in der That scheint mir Herr B. den Beweis erbracht zu haben, das die Offenbarungslehre von der Selbigkeit des Auferstehungsleibes mit dem gegenwärtigen von Vätern und Theologen stets durchweg im Sinne stofflicher, wenn auch nur relativer Identität aufgefast worden ist. Diese übereinstimmende Erklärung der Väter und Theologen, gegen welche der Dissensus einiger weniger Philosophen und Theologen auch meines Erachtens nicht aufkommen kann, ist mir persönlich masgebend und heilig genug, um mich verpflichtet zu erachten, meine Überzeugung derselben zu konformieren; und mus ich daher zur Entschuldigung meiner frühern Darstellung das offene Geständnis ablegen, das ich um eine so konstant

1. *Die L. vom Auf. nach ihrer positiven und speculativen Seite,* von Lic. Joseph Bautz, part. I, sect. 2, § 6, p. 109, Paderborn 1877.

überlieferte Auffassung des Lehrstückes nicht gewust habe»[1]. Totum hoc negotium distinctius subtiliusque narrandum esse duximus quum aliis de causis tum quia nostris etiam diebus scriptores non desunt qui adversus Traditionis sententiam Oswald testem appellare non dubitant.

Italia, Portugallia, Hispania. — In Italia et Portugallia auctorem novimus nullum qui saeculo XIX de Traditionis via declinarit, idemque de Hispania possumus dicere[2]. Hispania tamen, si auctores non peperit, interpretes non paucos effudit; cujus quidem rei testimonium dant Martin, Gratry, Pioger, Hettinger modico intervallo, medio saeculo XIX, conversi in hispanum[3].

Nunc vero, antequam in saeculum XX penetramus, si posterius medium saeculum XIX quasi uno aspectu lustrabimus, inter scriptores quos modo commemoravimus, uno aliquo fortasse vix excepto, eminere neminem reperiemus qui et insignis sit et praeterea excellenti instructus atque ornatus scientiat heologica. Abesse a vero non videbimur, si dicemus eos communiter, ad theologiam quod attinet, solum

1. Lc., p. 309, in postrema parte notae quae incipit in p. 306, Paderborn 1893.

2. Exeunte saeculo, scl. anno 1899, Dominus Josephus de Elola libellum edidit, qui inscribitur: *El Credo y la razón,* por J. de E., Comandante de Estado Mayor, Profesor de la Escuela Superior de Guerra, Madrid 1899. Ingenio fideique sanctitate, quam horridiori quidem sed robusto dicendi genere exponit, legentium animos auctor sibi devincit. Ad nostram rem quod attinet, videtur Elola eadem via ingredi ac P. Valencia; praeterea non theologi sed philosophi personam gerere. De his longius in *Estud. Eclesiást.,* t. III, n. 11, 1924, p. 293, nota 1.

3. Postremorum opera in hispanum conversa citavimus; Henrici Martin opus, hispane redditum, interpretis nomine reticito, editum est Barcinone, anno 1865, in *Librería Religiosa.*

scriptores esse populares, vel, si quid amplius de nonnullis erit addendum, eos illustres quidem esse scriptores, populares tamen; quin imo, ipse Dominus Freppel qui ceteris anteire doctrina videtur, nondum, quum in Sorbonna suos illos *Cursus* habebat, maturitatem erat assequutus[1]. Inciderant isti omnes in aetatem minime omnium aptam ad hoc ut sana theologia imbuerentur, eoque proinde scripserunt tempore, circiter medium saeculum XIX, quod, si generatim loquimur, tempus erat abjectae adhuc theologiae altius erigendae atque renovandae; tempus tentandi atque experiendi; ideoque tempus immaturum in quo multorum animi *aestu febrique apologiae* praecipue jactati sunt, sed apologiae, ut ita dicamus, «ad hominem» quae in adversarium crebrius et attentius quam in ipsam rem veritatemque intuetur; quae persuadere mavult et ad concordiam adducere quam sententias omnes ad theologiae fideique normas diligentissime dirigere; cujus tandem regula princeps ea videtur esse veritates catholicas quam maxime mitigare et ad animos ac desideria legentium totas paene fingere et accommodare. Qui pro inferni igne metaphorico, aeternarumque poenarum levatione, pro limbo ad infideles adultos aliisque id genus accommodationibus auctores videre volet, eos quum in proximo superiore tum in isto praesertim tempore reperiet. Tamen nihilo minus, nova haec de resurgentis corporis identitate explicatio in eas, quae proprie erant

1. Cfr. judicium Bellamy atque ejus qui Bellamy opus notis complevit P. Bainvel in *La théol. cath. au XIX siècle*, par J. Bellamy, c. II, § V. p. 46 et notam, Paris 1904.

«Institutiones theologiae», totum saeculum XIX penetrare non potuit, duabus exceptis: videlicet, Theologiis Oswald et Schell. At Oswald, quem ad modum diximus, paulo post quam novam explicationem civitate donaverat, de suo opere ejecit; denique solum ea remansit in Theologia Schell, *Katholische Dogmatik,* quae est in Indicem inclusa.

Quaenam autem erant argumenta quae hos apologetas adeo sollicitabant ut eos aut cogerent aut vehementer invitarent ad declinandum de via Traditionis? Unum in primis; imo vero unum tantum dici potest: *universae materiae renovatio, sive semel sive saepius, dum homo vivit.* Haec est cogitatio quae eos obsessos tenet et suo quasi splendore obruit; hic, scientiarum locus qui eis captus jam atque possessus videtur, quo posito resurgentis corporis identitas aut omnino ex materiae identitate explicari nequit, aut saltem nihil est quare ita explicetur. Ob eamdem causam inter omnes, quos commemoravimus, apologetas, etsi non semper rata certaque sententia, de parte *negante* convenit, scilicet ad identitatem corporis resurgentis, eo etiam modo quo perficienda est, eamdem materiam cogi nihil esse necessarium. Tamen in iis quae *affirmant,* satis inter se discrepant. Nam alii solam retinent animi identitatem vel, paulo aliter, conscientiae identitatem; alii praeterea oris, lineamentorum, ceterarumque notarum quae sunt cujusque propriae, aequabilitatem exigunt; plures denique mirabile quoddam principium seu vim quae sit *ejusdem* corporis efficiens, postulant, eamque *principium identitatis* appellant.

Saeculo XX

Saeculo XX longius progreditur recentior explicatio non propter suffragiorum numerum, quae rariora sunt[1], sed propter quorumdam pondus et auctoritatem, quippe quae a veris jam germanisque theologis feruntur.

Ac primum quidem nobilis sane theologus, cujus opera meritissimo praedicantur, formam explicandi maxime simplicem et moderatam ex iis quae saeculo XIX perferebantur, argumentumque etiam quod

1. Ad opera, quae in ipsis commentariis citamus, adjungere licet haec alia nobis cognita: ex Germania, libellum popularem *Was kein Auge gesehen* von Dr. Engelbert Krebs. 7. *Die Auferst. des Fleisches,* pp. 87-96, 197-199, ed. 6 et 7, Freiburg 1921; — ex Gallia, libellum etiam popularem *La Foi Cathol.,* par H. Lesêtre, Curé de S.-Étienne-du-Mont, c. XXIX, 6. — Résurrect., p. 473, éd. 25, Paris 1918; — ex Hispania, *Curso elemental de apologét. contemp.,* por el Dr. D. Emilio A. Villelga Rodríguez, Pbro., part. 1, fasc 1, lec. XIII, pp. 137-139, Barcelona 1902 (transcribit Cauly).

In defensoribus recentioris explicationis numerari nequit scriptor optime meritus, P. Raymundus Ruiz Amado S. J. Nam. etiamsi genere dicendi quo uti solet acri et agenti, illam interdum propugnare videatur, quaenam sit tandem ejus certa ac definita mens plane significatur pulchra ad nos missa epistola, quae videri potest in *Estud. Eclesiást.,* t. III, n. 11, 1924, p. 295, nota 1. In ea P. Ruiz Amado praeclare suam explicat mentem ad normam Traditionis.

Omittere volumus egregium quemdam historiae philosophiae scriptorem, e cujus stylo excidit imprudenter sententia quae potest jure meritoque damnari et quam ipse perperam omnino Scto. Thomae attribuit: «Au jour de la résurrection, le corps humain sera *numériquement* différent de celui élaboré par la nature à la naissance de l'enfant... etc.»

P. Xaverius Brors in quodam parvo quasi *Dictionario* apologetico ad vulgus accommodato ait recentiorum explicationem non esse contra *fidem catholicam:* «... non procede punto contro la fede cattolica»; haec est sententia parum accurata, quae tamen potest esse vera si solum significat Traditionis explicationem non esse fidei dogma; at potius, ut est in loco posita, significare videtur recentiorum explicationem Patri Brors probari. Conversus est libellus de germano in italum: *Il vademecum del cattolico,* brevi risposte, etc., n. 213, *Resurrezione dei morti,* p. 340, ed. 3, Roma 1915.

fortius esse putabatur, in suis «Praelectionibus scholastico-dogmaticis» hospitio tandem accipit. Ab anno 1901 usque ad annum 1921, quo anno Praelectiones postremo in lucem prodierunt, *Horatius Mazzella* Archiepiscopus Tarentinus istud, tamquam probabile, seu affirmare seu potius referre perseveravit quod «ut dicatur idem corpus resurgere, juxta communem et obvium loquendi modum, sufficit ut anima resumat corpus cum ea forma, cum illis specificis et individualibus characteribus, cum illis peculiaribus dispositionibus et differentiis quae, sub animae informatione, erant propria prioris corporis, etsi nulla sit ex moleculis quibus prius corpus coalescebat. Et profecto, etsi corpus humanum totaliter renovetur post aliquot annos ita ut nihil remaneat materiae qua prius constabat, ut ex naturali scientia notum est, tamen numquam non dicimus, communi et obvio loquendi modo, nos idem corpus habere»[1]. Una tantum per hoc tempus ab illustri auctore facta est adjunctio digna quae notetur. Quum primo Praelectiones apparuerunt, novae explicationis defensores non afferebantur; deinde aliquot sibi praeclarus auctor adducendos esse duxit. Quare, post Durandum citatum adjungit istam explicationem recentioribus multis probari, ac duos, exempli causa, nominat: quorum de altero statim referemus; alter vero est Oswald. Verum meminerit lector tempus illud, quo Oswald novam Durandi sententiam publice rejecerat, effluxisse jam multo

1. *Praelect. schol.-dogm.*, IV, tract. *de Noviss.*, c. II, § II, n. 713, p. 475, ed. 5, Torino 1921.

abhinc tempore longeque distare ab ipso anno 1901.

Metaphysicae altaeque Durandi commentationes post hunc et Joannem de Neapoli ferme obsoleverant; utique iis non est directus, praecipue saltem, illorum cursus auctorum qui saeculum XIX ab antiquis recesserunt. At vero ab anno 1902 vis atque ratio arguendi tota fere commutatur: Durandi autem cogitationes adversus majorum sententiam primas tenent. Nimirum eo tempore vir quidam egregius Durandi opinioni suffragatur eamque proinde sua auctoritate munit ac roborat. Nomen *R. P. Billot S. J.*[1], quem appellamus, multum jam in theologia celebratur, et, quem ad modum nostri lectores bene noverunt, perraro conciliatione aliqua et amica societate jungitur cum illo magni seu potius liberi animi theologo eodemque *doctore resolutissimo,* Durando, cujus vel solum nomen canit quodammodo bellicum. Verum, mirabili casu, solemne est in nostra causa ac fere necessarium Patrem Billot simul cum Durando citare. Etenim re vera, Durandus ex antiquis et ex recentioribus Billot illius explicationis, quae majorum sententiae repugnat, tamquam duces praecipui habentur. Nihilo minus fatendum est Patrem Billot hac in re non ea uti judicii firmitate, non eo dicendi genere acri, robusto et quasi triumphali quo saepe uti solet, et quod est ipsius vel maxime proprium; fieri non poterat quin animadverteret se in solitudine errare, nec Sancti Thomae sub nobili signo in aciem dimicationemque

1. *Quaest. de Noviss.,* auctore L. Billot S. J., S. R. E. Cardinali, q. VII, th. 13, § 2, p. 167 sqs., ed. 5, Romae 1921.

venisse. Ergo ejus argumentatio, levibus quibusdam commutatis, tota Durandea est, quamvis materiae renovationem urgere non negligat, viamque et modum pertentet argumentorum dissolvendi quae pro Traditionis sententia afferuntur. Tamen ejus auctoritate scriptores aliquot moti sunt.

Patrem Billot auctorem sequitur, ut identidem solet quamquam sapienti proprioque judicio, Canonicus Brugensis *Van der Meersch* qui varia volumina et disputationes edidit fama et commendatione dignas; in nostra vero quaestione recentiorum sententiam tam breviter explicat quam dilucide[1]. Item Billot auctorem sequitur, peculiari tamen et eleganti modo, *R. P. Et. Hugueny O. P.* doctus atque intelligens apologeta, quod ipse his verbis aperte fatetur: «Nous n'avons fait qu'exposer la belle thèse de l'ém. cardinal Billot...»[2]. Sed, quamvis ita sit, diligenter et caute P. Hugueny ad ea, quae Billot dicit, oportunam animadversionem adjungit. Sic enim scribit: «Si les éléments du cadavre ont encore gardé, sous la forme de squelette distinct, quelque signe de leur ancienne appartenance au corps vivant de celui qui doit ressusciter, nous pensons que cette relation de raison, qui suffit à justifier le culte rendu par l'Église aux

1. *Collationes Brugenses,* t. XV, 1910, pp. 691-694; videantur etiam pp. 641-644. Hoc postremo loco Bonnet tamquam scriptor catholicus adduci videtur: «*Indica tres catholicorum sententias...*» p. 641. Bonnet non est catholicus sed protestans ejusque sententia, quidquid est utrum sit haeretica necne, certe quidem notam theologicam censoriam meretur. (Cfr. Muzzarelli, *Il buon uso della Logica,* opusc. 17, c. I, IV, Fuligno 1788).

2. *Critique et Catholique,* II. *Apol. des dogm.,* VI. *Les Fins dernières,* § VI. *La Résurrect.,* n. 280, p. 364, nota 2, Paris 1914.

reliques, motivera la réinformation de la *matière première* présente en ces vénérables restes, de préférence à toute autre matière. Mais il n'y a là qu'une raison de convenance et non pas une raison de nécessité absolue»[1]. Optime quidem, posita recentiorum explicatione[2], atque utinam id ab omnibus minimum esset retentum.

Praeter Van der Meersch et Hugueny vix est auctor gravis qui Patris Billot sententiam suffragio roboret suo. At illud saltem praeclarus hic vir est assequutus ut aliquot theologi, pauci quidem sed graves, de ejus explicatione benevolo animo judicent; hi sunt Pesch[3], Mannens[4], et si quis alius. Quidquid demum id est, longe major pars venerando Patrum deposito custodiendo immobilis stat; quin etiam recenti tempore, quem ad modum postea indicabimus, gravissima

1. *Critique et Catholique*. II. *Apol. des dogm.*, VI. *Les Fins dernières* § VI. *La Résurrect.*, n. 280, p. 364 in ipsa explicatione.

2. Declaraverat idem sed alio ordine R. P. Honoratus del Val O. S. A., qui ad recentiores proxime accedit, in iis tamen proprie numerari nequit. Statuit enim hanc regulam: «Mihi quidem videtur: 1) dogma catholicum sat firmum consistere posse, etsi non alia identitas admittatur in corporibus resuscitatis, nisi identitas substantialis ex identitate formae seu animae promanans; 2) tamen, cum *in plurimis et fere omnibus casibus* sit certissime possibilis identitas materialis atomica..... etiam haec identitas propugnari *debet*, non ex exigentia identitatis proprie dictae, sed ex quadam convenientia morali etc.» *Sacra Theol. dogm.*, vol. III, tract. VIII, *de Noviss.*, a. V, n. 31, p. 710, Matriti 1908.

3. *Compend. theol. dogm.*, t. II, tract. IV, pars II, prop. LVI, n. 441, p. 272, Friburgi 1920. In eodem tamen numero sententiam Traditionis vocat P. Pesch *communissimam inter theologos*.

4. *Theol. dogm. institut.*. t. III, *theol. spec. pars alt.*, tract. XVIII, pars II, c. 2. a. 2, n. 1059, p. 717, ed. alt., Ruraemundae 1915. Non multum concedit: «Haec explicatio, ait, posita doctrina de composito humano a qua progreditur, non videtur fundamento carere...» Animadvertatur ratio quae affertur: *posita doctrina de composito humano a qua progreditur!*

quaedam scripta sunt, imo et censoriis notis nova ista explicatio inusta est.

Nimirum omnes hi theologi, qui saeculo XX de recta via et aperta declinarunt, theologica nostrae quaestionis argumenta aut ne cogitarunt quidem aut non satis perpenderunt atque aestimarunt; ex quo illud effectum est ut, constituto dogmate, de reliquo personam philosophi solumque personam philosophi gesserint. Non satis iidem distinxerunt duas totius rei considerandae rationes ac vias: *philosophicam* et *theologicam,* scilicet, 1) «quid, *si sola rei natura* ante oculos poneretur, necessarium atque etiam satis esset ut modo quodam vero ac proprio *numerica substantialis* identitas corporis alicujus existeret: verbi causa, corporis Petri septem annos habentis et corporis ejusdem Petri octoginta annos habentis, aut corporis mortalis et corporis resurgentis» — quae est disputatio penitus philosophica; et 2) «quid *veritate ipsa eventus futuri* necesse sit ut mortale corpus sit idem quod resurgens corpus *eo identitatis gradu eaque ratione ac modo quem secundum theologica argumenta Deus O. M. libero consilio elegit liberoque decreto constituit atque firmavit*» — quae est quaestio vere ac proprie theologica. Post quaestionem philosophico modo sive disputatam sive dijudicatam, putaverunt hi auctores eamdem ex omni parte jam esse discussam, non attendentes, quum in hac identitatis corporis resurgentis causa aliquid sit quod multiplici via et ratione a Deo fieri potest, in primis argumenta sibi theologica esse consulenda diligenterque ponderanda ut fierent certiores in iisne, seu plane

seu quibusdam indiciis, libera Dei voluntas exstaret expressa.

Quod autem hi auctores, eo modo quo diximus, rem tractaverint, id eorum verba testantur. In memoriam revocetur locus quem ex Horatio Mazzella supra descripsimus; tum ab eo tum ab aliis paucis locis quos de nostra re habet, documentorum aestimatio prorsus abest. Van der Meersch scribit: «Ut idem resurgat homo, censemus requiri et sufficere ut eadem numero anima iterum uniatur materiae primae sub debitis dimensionibus existenti, sive fuerit sive non fuerit olim informata haec materia ab eadem anima. -- Haec sententia, ut videtur, *logice sequitur ex doctrina scholastica* de essentiali compositione hominis ex materia prima et forma substantiali unica...»[1]; ad extremum autem adjungit: «licet S. Thomas censeat in resurrectione hominum eamdem numero materiam primam, saltem quoad partem, iterum esse uniendam eidem numero animae, tamen *admittit principium ex quo deduximus sententiam propugnatam*»[2]. Principium, quod appellat, hoc est: «cum unitas rei sequatur formam sicut et esse, oportet quod illa sint idem numero quorum est forma numero una»[3]. Ita cogitat perpetuo Van der Meersch. Frustra sollicitudinis aliquid et investigationis quaeratur utrum hac de re testimonium dederit necne Traditio; utrum ita dederit ut libertas relinquatur, an iis verbis atque decretis quae rem expediant libertatemque tollant. Frustra etiam

1. *Collationes Brugenses*, t. XV, 1910, p. 691.
2. Lc., p. 694.
3. Ibid.

apud P. Hugueny antiquitatis monumenta quaerantur[1]. Similiter apud *O'Hanlon* metaphysicae atque psychologiae satis copiosum flumen integram de identitate resurgentis corporis disputationem quasi obrutam et oppletam tenet; documentorum vero nihil est[2].

Philosophia sunt etiam, mera philosophia nihilque aliud praeter philosophiam, accuratae R. P. Billot meditataeque commentationes; neque personant umquam sacra Patrum Scripturarumque voce[3]. Vel potius, res ita se habebat quum primum *quaestiones de Novissimis* edidit[4]. Post, ut erat omnino necessarium, voluit ipse P. Billot argumenta pro Traditionis sententia expendere atque aestimare, ac proinde illa, tamquam aliquid quod sibi objiciatur, refellere. Ergo egregius hic auctor, quo tandem modo se expedit? quid firmissimo Patrum testimonio opponit? Res est profecto consideratione digna, nam de theologo agitur qui pro recenti explicatione fortius apertiusque pugnavit. Postquam igitur quiddam, quod opponeba-

1. *Critique et Catholique, II. Apol. des dogm., VI. Les Fins dernières § VI. La Résurrect.*, pp. 358-364, nn. 276-280.

2. *The Irish Theol. Quart.*, «The Identity of the Risen Body», vol. XVII, July 1922, n. 67, pp. 231-237.

3. *Quaest. de Noviss.*, auctore L. Billot S. J., S. R. E. Cardinali, q. VII, th. 13, § 2, p. 167 sqs., ed. 5, Romae 1921. — In opere P. Prevel SS. CC., a P. Miquel SS. CC. recognito et aucto *(Theol. dogm. elementa* ex probatis auct. collegit P. B. Prevel SS. CC... ed. 3 aucta et recognita opera et stud. P. M. J. Miquel SS. CC.. t. I, II, Paris 1912) Traditionis explicatione omissa, exponitur modo simplici, plano et brevi, notarum fere instar, Patris Billot explicatio quem P. Miquel in *prooemio* «ducem clarissimum simulque dilectissimum magistrum» vocat. Itaque, nihil mirum si quae de magistro ac duce dixerimus, peraeque, atque adeo potius de PP. Prevel et Miquel dicenda sint; (cfr. part. III, c. V, a. II, n. 179, Nota, pp. 679-680).

4. Ibid. pp. 152-156, Romae 1902.

tur, philosophicum expedivit, se ipse urget hac ratione: «Esto quod in resurrectione identitas animae satis esset ad identitatem corporis simpliciter. Sed adhuc intelligitur identitas perfectior, tam secundum materiam quam secundum formam. Atqui haec est identitas absoluta et totalis, sese extendens etiam ad materiam, quam modus loquendi Scripturae et Patrum ubique insinuare videtur»[1].

Nimium fortasse breviter Patrum Sacrarumque Litterarum argumenta exponuntur. Hac sola expositione, quis eorum vim atque pondus aestimet? At vero describamus eam responsionis partem quae *directo* contendit ut eorum, quae ex Scriptura et Patribus opponuntur, momenta perpendantur accuratumque judicium feratur: «Respondeo, Scripturam nihil aliud nos docere nisi resurrectionem mortuorum, id est reconstitutionem hominis secundum corpus, et quidem ejusdem numero hominis qui fuerat prius, sicut ipsum per se indicat resurrectionis nomen. Et ad hujusmodi reconstitutionis veritatem satis est identitas entitativa et simpliciter dicta hactenus declarata». Animadvertatur per transennam quam parum loquens Scriptura inducatur. Additur continuo ad Patrum Conciliorumque testimonia responsio: «Quod si Patres et Concilia multum insistunt in hoc, quod resurrectio erit in ea ipsa carne quam nunc gestamus, in qua nunc vivimus, in qua nunc consistimus et movemur, non huc spectant locutiones illae ut adstruant necessitatem identitatis etiam pure materialis, quae ex sese

1. Lc., ed. 1921, p. 172.

satis indifferens esse videtur. Sed apponuntur ad excludendum errorem eorum qui post Origenem dicebant corpora resurgentium fore corpora aerea, spiritui et aurae similia... De quo quidem fidem abunde faciunt testimonia antiquae traditionis superius §. I relata»[1].

Hoc tam exile tamque jejunum responsum quod firmissimo Traditionis argumento redditur, molestiam injicit et quasi pungit animum; fierique nullatenus potest quin erumpat aliquando haec interrogatio, numquid auctor, de aliis sollicitus quae magis necessaria judicarit, nostram quaestionem satis attenderit reique momenta perpenderit. Nisi ita est, quomodo illustris auctor id genus responsa dare potest, quum certissimum sit Sanctos Patres, magnificentissimo tamquam exercitu facto quod ab ipso saeculo I ducit exordium et ad postremum Patrem usque perducitur, tum iis verbis usos esse atque sententiis, quas eorum ex ore affert P. Billot, tum etiam sive ante Origenem, sive Origenis tempore, sive post Origenem pluribus aliis quibus multiplici variaque ratione, alias per transennam et

1. Ib. — In ipsis commentariis attendimus solum responsum quod Patrum testimoniis *directo* datur. Adjungitur deinde responsum *non-directum;* quo responso connititur P. Billot ut ex verbis Patrum, si plana et aperta significatione de identitate materiae intelliguntur, incommoda quaedam eliciat atque pugnantia. Verum tamen, quid est quod egregius auctor proprio marte philosophando defatigetur, quum Patres, quum ipsi scholastici, duce S. Thoma, legem communem oportunis explicationibus exposuerint, ostendentes etiam tenuiter quî fieri possit, si v. gr. de modo natis, abortivis, ceteris ejusdem generis sit sermo, ut corpore eodem ex eadem materia isti homines resurgant? Responsum non-directum et, ut ajunt, «ad hominem» quo quis testimoniorum Traditionis infinitam quamdam seriem velit infringere, nonne periculi plenum est? Contra, nonne planum rectumque illud est unum, scilicet ponere pugnantia et incommoda, quae apparere videantur, nulla esse re psa et veritate?

cursim alias dedita opera, plane aperteque profitentur animum ad eamdem materiam esse jungendum ad quam est antea junctus et quae nunc fortasse toto mundo diffusa reperietur?

Loquamur aliquando tandem (bona venia id dixerimus) debito quidem honore sed aperte palamque propter rei gravitatem. Unum, unum solum ex paucis recentioris explicationis defensoribus profecto non invenies qui monumentis Traditionis ceterisque theologicis argumentis expendendis ac dijudicandis operam studiumque navarit. Ponderantur sane nonnumquam communes symbolorum et Conciliorum formulae, Tridentini tamen loco, qui de venerandis reliquiis agit, studiose excepto; minus et satis celeriter Scripturarum loci. At vero, argumentum Traditionis in primisque Patrum, quod est omnium maximum plenissimumque majestatis et ponderis, forte evenire potest ut, ad modum auctoris proxime adducti, raptim attingatur; ut autem data opera veraque animi contentione expendatur, aestimetur, id numquam omnino accidere confitendum plane est. Nihil itaque mirum, si mens inclinat ad judicandum nullum ab iis theologis, de quibus supra egimus, pro recenti explicatione ferri suffragium quod sit, ut ita dicamus, *formale,* videlicet tota quam habent (nam profecto habent) auctoritate munitum; sed potius suffragium *materiale* cujus vis in solo numero est ponenda. Fortasse autem eorum nemo auctoritatis propriae discrimen in ista sua defendenda explicatione ponere auderet, ad quam hi omnes theologi aggressi sunt neque magna judicii firmitate neque multa inquisitione et investigatione, et desiderio at-

que spe moti fore ut ita quaestio tota et in primis defensionis ratio planior pro Apologetica faciliorque redderetur potius quam vera theologicorum argumentorum scientia adducti.

Verum tamen, quidquid est, eorum suffragia sive *formalia* sunt sive tantum *materialia,* adversariorum augent numerum. Quapropter, dissidentes omnes animo si lustrabimus, fatendum nobis erit proximis his octoginta annis cursum quemdam, in extremis majorem quam in medio, ad oppositam Traditioni sententiam factum esse. Eo videtur dissolvi catholicorum idem ad unum sentientium conspiratio atque concordia; jam, ut videtur, nequit esse sermo de perfecta catholicorum conjunctione sententiarumque communitate, ne de ea quidem quae *moralis* nunc solet appellari, pro ea explicatione quam omnes omnino Sancti Patres, quin etiam omnes catholici scriptores usque ad saeculum XIV fortiter constanterque tenuerunt. Ac proinde, haec, quantacumque est, immutatio ante oculos proponatur necesse est ut cunctorum argumentorum pro Patrum explicatione vis atque momentum et accurate perpendatur et prudenti consilio aestimetur.

* * *

Nunc ea quae hactenus exposuimus de catholicorum hac in re post Sanctos Patres consensione, breviter summatimque una comprehensione dicemus.

Tres periodos distinximus: 1. — *Prima* periodus quinque fere saecula complectitur, a saeculo IX ad

XIII, utroque numerato; continetque aureum saeculum philosophiae ac theologiae christianae: atqui per totam hanc periodum, quod est diligentissime notandum, sine ulla verborum ambiguitate, sine dubitatione ulla omnes ita sentiunt ut ad unam eamdemque sententiam plane constanterque defendendam conspirasse videantur. 2. — Periodus *altera* ab ineunte saeculo XIV ad medium saeculum XIX pertinet. Ejus initium introduxit degressio quaedam a fontibus verae theologiae, scilicet ab antiquitatis christianae studio, Patrum praesertim, et Sacrae Scripturae monumentorumque assidua evolutione; postea novum tempus redit progredientis ascensus qui ad summum venit circiter annum 1570, quo tempore nova se erigit aurea aetas theologiae et amplius per saeculum alta et excelsa stat ostenditque lumen suum: alteram hanc periodum eadem etiam Patrum retinetur explicatio vigetque animorum consensio, non absoluta quidem, sed certe ea quae appellari solet *moralis;* nam duorum auctorum vocibus, qui contra dicunt, mera solitudo personat; id autem eo tempore contingit quo ab antiquitatis studio usuque recedens, languere incipit germana theologia. 3. — *Tertia* periodus nondum integrum saeculum viguit; ejus initium pepulerunt motus illi, experimenta conatusque abjectae theologiae excitandae; et re quidem vera ex eo tempore theologia, cursu non interrupto, ad magnum splendorem et excellentiam sensim pedetentimque progressa est: tertia periodo, tametsi ii qui dissident, praeterquam oppido pauci, obscura sunt nomina, sententiarum tamen consensus infringitur; et solum

auctorum longe major pars in defendenda Traditione perstat.

Quamobrem, *absoluta omnium consensio, «moralis» omnium consensio, longe majoris partis consensio*, haec sunt tria itineris stadia quae a saeculo IX ad nostra usque tempora catholicorum mentes animique percurrerunt.

PARS TERTIA

Ad ea tandem veniamus quae Traditionis sententiae objici solent; duo vero sunt quibus praecipue adeo moti sunt recentiores quidam ut auderent a Traditione deflectere. In his duobus numerare nolumus ea quae ex anthropophagis afferuntur; gravem enim theologum an moverint ista nescire nos fatemur. Et re quidem vera, quicumque his anthropophagorum fallaciis atque captionibus, puerilibus saepe, Traditionis causam desereret, *temeritatis* notam haudquaquam effugere posset; siquidem eas omnes penitus perspectas planeque exploratas habuit Traditio ita ut de iis saepe acri animo et attento ac dedita opera disputaret. Quid autem sit respondendum, haud difficile est videre[1].

Ergo veniamus ad duo quae Patrum sententiae obstare maxime putantur; quo autem ordine his postremis temporibus illa viguerunt, eodem pro nostra facultate accurate exposita diluemus. Principio tamen aliquid animadvertamus necesse est.

Neutrum ex his duobus, quae objiciuntur, adductas theologicas rationes oppugnat, nisi forte quatenus utrumque pugnantia quaedam in sententia, quae dici-

1. Qui optimam satisque uberem responsionem videre volet, adeat P. Palmieri in loco simili et fortasse spinosiore: *Tract. theol. de Noviss.*, § 52, pp. 129-130, Prati 1908.

tur Traditionis, sibi videtur ostendere, Traditio autem pugnantia loqui non potest. Jam vero, quid fit in quavis theologica quaestione quum certis et illustribus, de re dogmatica agentibus, Traditionis monumentis quaedam objiciuntur scientifica aut philosophica? Utrum ea plane certaque ratione expedire opus est an responsionem probabilem satis est reddere? Profecto satis esse debet responsionem probabilem reddere; plus autem exigere et periculosum esset et immoderatum. Ergo, juvante Deo, ad id aggredimur. Ut adhuc semper, Traditionem habebimus regulam quam sequamur; dux etiam nobis erit S. Thomas. Ne tantulum quidem ab utroque recedemus.

CAPUT PRIMUM

PRIMUM QUOD OBJICITUR: TOTIUS MATERIAE RENOVATIO

§ I. Communis modus istius objiciendae renovationis

Quod objicitur primo loco, sic breviter adstringi potest: «Secundum ea quae docti tradunt, corporis vivi materia sensim pedetentimque renovatur ita ut post certum quoddam tempus[1], perfecta sit renovatio; quod tamen nihil prohibet quominus per totam vitam corpus permaneat *idem*. Quapropter: a) omnino non capitur quare ad corpus resurgens efficiendum postuletur ut eadem iterum adhibeatur materia, quum corpus v. gr. Petri nascentis et corpus ejusdem Petri ad octoginta annos ab omnibus dicatur idem et re vera idem sit, etsi nihil jam ejusdem materiae detur; b) quod si eadem erit jungenda materia, ecquaenam tandem jungatur? aut integra quae est per totam vitam habita aut ejus certa quaedam pars: si primum dicis, corpora resurgentia erunt immoderate magna aut incredibiliter compressa; si alterum optas, corpus, quod hac sola materiae parte fingetur, non erit idem, *ea* videlicet *identitate materiae quae desideratur,* atque corpus juvenis, viri, senis; et vicissim».

1. In definiendo tempore multum variatur inter auctores: alii triginta dies vel etiam minus designant; alii septem atque plures etiam annos; alii, fortasse cautiores, in universo genere se continent.

Responsum. — Hujus, quod objicitur, tota vis in eo consistit quod universam materiam renovari ponitur; ut autem lector ne perturbetur, properamus dicere fore ut haec tota quaestio a nobis, posita etiam universae materiae renovatione, excutiatur ac dijudicetur.

I. Sed in primis pauca dicamus oportet de ista nimium praedicata totius materiae renovatione.

Totius materiae renovatio, estne *certa?* Estne locus, sapientum judicio stabilitus et fixus, scilicet ut hispane dicitur, *un punto científico adquirido,* ita ut eam negare aut de ea dubitare perinde sit atque ignorantiae aut haeresis in naturae ratione convinci? Hujus rei nos imperiti ad peritos confugimus quorum testimonia breviter afferemus. Et quidem satis erit recentiores nonnullos[1], testes producere; solum enim contendimus ut appareat nimium non esse confidendum physicorum decretis, interdum etiam aliquantulum nos oportere diffidere, utique semper esse cautos ac providos, ne a sapientibus irrideamur animadvertentibus nos de Traditionis statu dejici iis motos physicorum sententiis quae hodie nascuntur, cras occidunt, aut quae saltem fundamentis plane certis constitutae non videntur.

A quibusdam verbis Doctoris Gley ducamus exordium, quibus constabit quam sit cautus et vigilans hic auctor, doctus sane et egregius physiologus, quamvis ad totius materiae renovationem, ut videtur,

1. Antiquiores auctores videri possunt v. gr. apud Perrone, *De homine,* c. VII, *de futura corporum resurrect.;* (exstat locus in «Theol. cursu compl.» edito a Migne, t. 7, col. 1570, nota etiam 1).

inclinet. Scribit ita: «...les pertes nécessaires d'azote son-elles minimes... Et les histo-physiologistes n'ont dans aucun organe constaté les signes d'une décomposition et d'une rénovation cellulaires intenses. Bien au contraire, n'est il pas des neurologistes micographes qui font, par exemple, de la permanence des cellules cérébrales la condition physiologique de la mémoire et de la plus haute faculté psychique, la conscience de soi? Quant aux physiologistes, ils ont, en ce qui concerne le tissu musculaire, surabondamment prouvé que ce tissu ne se détruit pas par l'effet du travail des muscles. — Ainsi le mouvement d'assimilation des matières protéiques ne peut être que restreint, puisque la désassimilation en est limitée»[1]. Idem supra similiter scripserat: «Grâce à ce double mouvement continu de combinaison et de décombinaison que présentent les éléments anatomiques sans se détruire, il se fait dans ces éléments et par suite dans l'édifice organique tout entier, une perpétuelle circulation de matière; c'est ce mouvement d'assimilation et de désassimilation que Cuvier designait par le nom de *tourbillon vital*. Mais il faut bien remarquer que, contrairement à ce que croyaient les biologistes du temps de Cuvier, ce n'est pas la substance proprement vivante, le protoplasme cellulaire, qui est entraîné dans ce tourbillon; ce ne sont que les matières élaborées par le protoplasme et entreposées

1. *Traité élémentaire de Physiologie*, par E. Gley, Professeur au Collège de France, Professeur aggrégé de la Faculté de Médecine de Paris, Membre de l'Académie de Médecine. — Septième édit. revue et corrigée. — T. II. — Paris, Libr. J. B. Baillière et Fils, 1928, p. 601.

en quelque sorte sous forme de graisse et de glycogène qui sont ainsi incessamment détruites et renouvelées»[1].

Nobilitata maxime sunt experimenta Flourens, ejusque conclusione «toute la matière, tout l'organe matériel, tout l'être paraît et disparaît, se fait et se défait et une seule chose reste, c'est-à-dire celle qui fait et qui défait, celle qui produit et détruit, c'est-à-dire la force qui vit au milieu de la matière et qui la gouverne»[2], hac, dicimus, conclusione opera multorum personant qui *novo defensionis genere* dogma resurrectionis tuentur. Ingeniosus ille scriptor, aequalis noster, acutus atque festivus, Th. Moreux, Speculae Bourges Moderator, in suo opere *Que deviendrons-nous après la Mort?*[3] ista omnia in judicium voluit adducere. Ejus rata certaque sententia haec est, istorum omnium vim ad probandum exaggeratam esse: quod dicuntur obtinere, non obtinent. Ipse autem pro sua parte nonnulla contra totius materiae renovationem argumenta concludit; et quum alia multa tum haec scribit: «On est donc mal venu à l'heure actuelle, de parler du tourbillon vital qui emporte avec lui *toute* la matière de l'organisme vivant. Ce que nous pouvons affirmer, c'est que, dans le corps humain, des substances passent, tandis que d'autres demeurent»[4].

1. Lc. p. 588. Multo etiam plura possunt afferri.
2. Videatur locus in opere Th. Moreux mox afferendo, c. XV *Notre corps se renouvelle-t-il?*, p. 265.
3. Videatur caput in proxima superiore nota citatum, p. 260 sqs. (éd. 41, Éditions Scientifica, Paris 1913).
4. Lc., p. 271.

Quidam apologetae pro totius materiae renovatione tum Flourens tum etiam Fremy[1], citare solent qui hac in re mira scribit. Illa rogatu nostro postquam attente perlegit R. P. Barnola, vir multum temporis scientiis naturae deditus, minimi fecit quippe quorum argumenta sunt «de escaso y casi ningún valor»[2]. Ita vir ille doctus qui praeterea judicium renovationi totius materiae contrarium nobis indicavit[3].

Illustrius atque fortius adversus totius materiae renovationem testimonium fert, et quidem egregii etiam physiologi germani Verworn auctoritate munitum, vir cujus non parum in hac materia valere debet auctoritas. Doctor Rodríguez Carracido, quo de loquimur et qui multos annos Rector fuit Universitatis Matritensis, scholas quasdam habuit aliquot

1. Cfr. v. gr. Méric et multo magis Pioger in operibus quae supra adduximus. Pioger, tamquam introitum ad suum opus, caput quoddam habet quod summi esse momenti existimat, quandoquidem iterum ac saepius operis tractu lectorem rogat ut istius capitis summam teneat memoria, si resurrectionis dogma intelligere volet. Hoc autem caput satis copiosam renovationis totius materiae defensionem continet. Pioger corporis materiam in 30 diebus renovari totam non solum non reformidat, verum etiam *sapientum* judicia libenter adducit qui in 25, 22 vel etiam in pauciores dies tempus contrahunt. Qui scire volet de quibusnam decedat citius materia, de viro an de femina, de operario studiisque dedito an de otioso nihilque agente, id omne et alia satis jucunda in eodem capite videbit subtiliter disputata.

2. In privato scripto ad nos dato. Quum haec scribimus, obiit jam hic Pater mortem vere sanctam et placidissimam in Domino.

3. Haec sunt verba illius: «Aunque es difícil probar qué porciones quedan en el organismo, a pesar de los años, puede asegurarse que las que lo logran son con preferencia: a) compuestos inorgánicos, como los carbonatos y fosfatos de los huesos; b) y parte del tejido nervioso, del cual se asegura que ya a cierta edad no se regenera; a lo cual atribuyen algunos fisiólogos la pérdida de la memoria y de la facilidad de comprensión, que acarrean los años, como si ciertos elementos cerebrales se endureciesen y no fuesen ya aptos o tan aptos para reaccionar orgánicamente como lo requiere el ejercicio mental».

abhinc annis in *Societat de Biologia* Barcinonensi. E quibus in prima sic dicebat: «En tiempos, aun no remotos, era idea muy corriente la de que la materia de los seres vivos se renovaba completamente, hasta el punto que se decía que, transcurrido el plazo de siete años, todo era nuevo en el organismo. Hoy esta idea se ha modificado considerablemente. Empezando por los fisiólogos, se supone que muchos órganos no tienen más células que un determinado número de ellas, y que en las células, aunque viviendo, y por lo tanto, consumiendo materia, no es la que está cambiando la que con estructura organizada constituye la fábrica de la célula, sino materias que a ella se incorporan para fines nutritivos; y dentro de esas mismas substancias químicas, hoy se admite que hay grupos persistentes, siendo tan sólo parte de ellos la que por acciones químicas es destruída y regenerada después. Según las ideas de Verworn, el autor de la fisiología general, y autor también de un estudio sobre el biógeno, cabe admitir que la molécula viviente es algo como un arácnido. El cuerpo formado por los grupos cíclicos persistentes, y las extremidades por los acíclicos destructibles y renovables por las reacciones bioquímicas causantes del cambio material»[1].

1. *Laboratorio*, mayo 1919, p. 794 b. — Hujus viri disputationes quum citamus, plane mittimus quamdam philosophiam quae eis quasi caligo offunditur; siquidem de ista philosophia graves quaestiones constitui deberent. — Verworn Physiologiam in manibus habere non potuimus. Idem Verworn similia, licet obscure satis et breviter, indicat in *Zellphysiologie, Hypothesen über den Mechanismus des Stoffwechsels*, p. 916 a, ubi dicit *hypothesim de biogeno* teneri etiam a Pflüger, aliis: *Handwörterbuch der Naturwissenschaften* von Prof. Dr. E. *Korschelt*. — Marburg, etc.; X Band, Jena 1915.

De alia disputatione pauca dicamus, videlicet «*utrum fieri possit necne ut* universae materiae renovationem *experiendo probemus*». De hac re multo adhinc tempore nos cogitando dubitabamus; neque enim perspiciebamus quo tandem modo demonstrari posset ista renovatio. R. P. Pujiula, nobilis biologus et Instituti biologici Sarrianensis (Barcinone) Moderator, dubitationes nostras roboravit. «No hay posibilidad, aperte scribit, al menos yo no la veo, de demostrar experimentalmente que un organismo durante un período de tiempo y aun durante su vida cambie *totalmente,* en virtud de su funcionamiento vital, la materia de que consta»[1]. Eadem fere affirmat Moreux: «Comme... l'expérimentation sera toujours impuissante à atteindre les dernières particules matérielles, nous ne serons jamais contraints à admettre l'universalité des changements partiellement constatés»[2].

Quapropter, ad totius materiae renovationem quod attinet, alii dubitant an possit ostendi; alii, omissis amplificationibus omnique pompa, sobrie et caute loquuntur; alii denique eam negant rationesque contrarias afferunt. Potestne igitur assumi tamquam *scientiae locus plane stabilitus et fixus,* in quo theologus quiescat securus nitique non reformidet ad venerandas Traditionis sententias procul amandandas?

II. Verum demus ita esse; demus scilicet: uni-

1. In privato scripto quo huic a nobis propositae quaestioni respondet.
2. Lc., p. 270.

versam corporis vivi materiam semel, bis, quoties libuerit, renovari sive in triginta diebus sive in septem annis. Fierine potest ut majorum explicationes hac *hypothesi* frangantur, et ante illam, tamquam murum qui perrumpi nequit, nullum habentes exitum stare debeant? Nequaquam ita; quin imo, responsum est valde simplex, saltem ut explicatio vere planeque probabilis; adeo etiam simplex et apertum, praeterea adeo in ipsa Traditione nixum ut admirationem faciant molestiaeque nonnihil exhibeant tot tantaeque quorumdam amplificationes de vi ac robore hujus, quae objicitur, renovationis materiae.

Aggredientes ad hanc causam, rogamus eos e nostris lectoribus, qui istam, quae opponitur, renovationem tamquam inexpugnabilem habere consueverunt, ut, nihil properantes, perfectae expositioni praestolentur; pedetentimque nos brevia quaedam atque plana proponentes comitentur, neque suffragium ferant judiciumque pronuntient usque eo dum totius causae ratio exponatur perfecteque claudatur.

Ab ea quaestione et responsione capiamus exordium quae resurgentis corporis identitati specie prima est maxime contraria: «Per totum vitae tempus, humanum corpus seu potius, ut ipsis scholasticorum verbis usi accuratius loquamur, *pars substantialis materialis*, *quae ab hominis animo physice distinguitur, estne eadem numero?*»

Nolumus responsionis nostrae cursum his commemorandis nunc tardari quae renovationis tarditatem premunt et urgent, scilicet eam sensim ac pedetentim effici ita ut nova pars parti longe ma-

jori semper addatur &.&.[1]; quia valens dialecticus, qui causam penitus discutere volet, anxio et sollicito animo fortius perget instare: «Sive tardius sive citius id fit, dato renovationem totius materiae, v. gr. in septem annis, re ipsa haberi, humanumne corpus, scilicet pars substantialis materialis ab animo physice distincta, est idem an non, quum duos annos habet homo atque tum quum habet nonaginta?» Mittamus parumper totum quod hoc loco adhibet Durandus argutiarum, quia de iis postea agemus, nunc vero obstarent quominus dilucide et expedite loqueremur.

Itaque philosophorum more praecise respondeamus: «*Distinguo*. Corpus istud est idem *physice,* NEGO; est idem *moraliter,* quamquam insigni quadam et praecipua identitate morali, CONCEDO». In hoc *moralis* ista identitas nititur quod «materiae mutatio paulatim et imperceptibili modo fit, sub organizatione omnino simili, sub eademque anima rationali, atque ita ut, quoties additur nova materia, continuetur physice cum majori parte praecedenti: quae circumstantiae faciunt ut humano more loquendi ac reputandi non aliud sit corpus senis quam pueri. Sic domus, licet paulatim reparetur diminutione et accessione multarum partium, censetur manere semper eadem». Haec identitas «vocari potest identitas physica ratione physicae continuitatis, de qua nuper. In rigore tamen, si tota materia puerilis corpo-

1. Haec omnia bene exponit v. gr. Palmieri. *De Noviss.*, § 51, n. 6, p. 128, Prati 1908.

ris amissa sit, solum est identitas moralis; quamvis in linea morali, quae varios gradus admittit, strictissima sit, utpote fundata tot titulis physicis» [1].

Hoc posito, ad eas duas quaestiones in his quae opponuntur contentas et initio capitis indicatas, ordine tantum commoditatis causa immutato, revertamur.

Quaestio prima

Ecquaenam ad resurgens efficiendum corpus materia adhibebitur?

Brevi praecidamus: «*Eadem illa ex qua humanum corpus mortis tempore constabat*. Quapropter resurgentis corporis materia erit *physice* eadem atque materia quam mortis tempore corpus humanum habuit; quod vero attinet ad materiam per totius vitae tempus habitam quae diversis temporum spatiis humanum corpus constituit, resurgentis corporis materia erit eadem simili pacto atque eadem est materia tempore mortis habita: quae nimirum, si integra per vitam renovatio affirmatur, eadem est *moraliter, praecipua* tamen *et maxime vera identitate morali*[2], atque materia per vitae spatium habita; eadem autem *physice,* vel melius *physice-moraliter,* si renovatio totius materiae non daretur». Enucleemus nunc firmemusque responsum.

Fuerunt aliquot theologi atque sunt etiam nunc

1. Lossada, *Cursus philosophici...* secunda pars, t. IV, disp. IV, c. V, nn. 20-21, pp. 301 302, Barcinone 1883.

2. Identitas est *physica-moralis,* si ratio habetur materiae habitae iis temporis spatiis proximis, quibus integrae renovationis periodus postrema constituitur.

qui, quamquam resurgentis corporis materiam futuram esse eamdem fortiter propugnarunt, tamen in definiendo, saltem quod attinet ad extrema lineamenta, quaenam sit materiae pars iterum jungenda, nonnihil fluctuantes titubarunt; quin imo, studio ducti nonnulli facilioris reddendae responsionis, partem materiae jungendae adeo contraxerunt ut, si reddiderint responsionem maxime facilem, effecerint etiam non minus facilem quam miram et fortasse nonnihil ridiculam. Quum fieri nequeat ut hujus generis species omnes formasque explicationum exponamus, illud indicabimus quod est caput unde omnes proficiscuntur.

Corporis materia, isti auctores meditati sunt, tota renovatur, quum tamen corpus semper maneat idem. Ergo resurgens corpus simili prorsus modo erit idem, sive cum animo jungetur cadaveris materia sive alia quaecumque ex qua per vitam constiterit quolibet puncto temporis mortale corpus; quandoquidem corporis resurgentis materia semper erit physice eadem atque mortalis corporis materia ad quoddam punctum temporis habita, et moraliter seu physice-moraliter eadem atque ejusdem corporis materia reliquum vitae tempus habita. Proinde nihil est cur certa quaedam materia, ea v. gr. quae mortis tempore habebatur, sigillatim requiratur.

Hactenus qui sunt maxime cauti; alii tamen ita pergunt commentari: Si quolibet puncto temporis habita per vitam materia satis est ad resurgens efficiendum corpus, satis etiam erit quod habitum est materiae quum primo corpus humanum constitutum est, dummodo tantulum istud materiae alia materia,

quibuslibet e locis deprompta, compleatur. Quibus non nemo audet adjungere: Imo satis etiam erit, si materiae quovis temporis puncto habitae illud assumatur quod aequet materiam ex qua primo constitutum est corpus.

Quaenam est de hoc toto responsionum genere ferenda sententia? Praeter postremam, ceteris fortasse uti poteris ad explicanda quaedam *extra ordinem* et, ut dicitur, *per accidens* facta; eaedem vero, tamquam *explicationes ipsius legis,* recipi propugnarique non possunt. Etenim Traditio sensusque praecipue Patrum demonstrant verae explicationis viam; illa ingressus est Angelicus Doctor: eadem et nobis ingrediendum fideliter est.

1. *Traditionis responsum*

Est illud plane certum quod Traditio, quum materiam, quae resurrectionis tempore cum animo jungetur, sigillatim proprieque designat, variis quidem loquendi modis utitur, semper tamen reliquias, cadaver, materiam tempore mortis habitam demonstrat. Locorum, quos supra adduximus, copia rem penitus obtinet.

Quin imo, ipse Origenes, etsi non directo, hanc tamen esse Traditionis sententiam probe confirmat. Etenim in celebri Psalmi I commentario quum opinionum suarum quae, ut acerrime S. Epiphanius ajebat[1], *non fide sed syllogismis nituntur*, com-

1. *Panarium,* l. II, t. 1, haer. 64, n. XI; MG 41, 1088.

menta exponit et tuetur, in primis toto pectore contendit ut eorum, quos ipse appellat οἱ ἁπλούστεροι τῶν πεπιστευκότων, responsa et explicationes penitus refellat. Argutis captiosisque Origenis interrogationibus ἁπλούστεροι isti accurate breviterque respondent. At urget Origenes mutabilitate materiae. Tunc vero alii generatim universeque respondent Deum ita esse facturum ut ipse judicabit ac volet; quae est regula ut accurata et verissima, sic in universo genere se continens, nulli sigillatim explicationi contraria et quae semper debet esse id quo in acutis fidei quaestionibus simplices fideles confugiant. Verum alii praestantes ingenio, ut ait Origenes οἱ δὲ γενναιότεροι, aperte proprieque respondent. Eorum autem responsum illud est nec aliud esse poterat quod perpetuo universa dedit Traditio, nimirum fore ut resurgat corpus quod tempore mortis habebatur: φασὶ τὸ ἐπὶ τέλει ἡμῶν ἀναστήσεσθαι σῶμα[1].

Alia demum esse potest eorum quae diximus confirmatio, non quidem directa sed certe firmissimi roboris, summa videlicet testimoniorum inopia, ne quid amplius dicamus, monumentorumque cujuslibet generis pro quacumque responsione quae e mortui corporis reliquiis non decernat fore ut resurgentis corporis materia sumatur. Hujus rei praeclarum est documentum vel ipse Bautz, Traditionis vi et auctoritate tam instructus et armatus quum generatim universeque probat materiam futuram esse eamdem, tam solitarius et inermis quum id effluere

1. MG 12, 1092.

et vagari permittit quod certis terminis circumscripserat constitueratque Traditio [1].

Ecce itaque germanae responsionis caput: «*corpus resurgens,* quae erit communis lex et *per se, ex illa materia constabit ex qua mortis tempore corpus mortale constabat*». Reliqua, scilicet resurgentis corporis materiam futuram esse eamdem atque materiam per totum mortalis vitae tempus habitam simili pacto similique ratione atque haec eadem est ac materia mortis tempore habita, sua jam sponte consequuntur; nec aliter immutari vel potius compleri possunt nisi quis audet asserere non reliquias tantum, quod negari non potest, sed *praeterea* totum quod habitum est materiae per vitam, in corpus resurgens esse congerendum. Mirabilis profecto affirmatio quae neque Traditione neque rationis argumentis neque ipsa rei gravitate fulcitur!

2. *S. Thomae responsum*

Quid vero S. Thomas? S. Thomas hoc etiam loco de materia ex qua sit corpus resurgens constituendum, ut nobis quidem videtur, Traditionem sequitur. Rationes aliquot statim afferemus. Sed, ut aperte et omnino ex veritate agamus, principio animadvertimus nos huic nostro de S. Thoma judicio non tam firme quam judicio de Traditione confidere. Cur autem ita sit, breviter nobis exponendum esse censemus.

Videlicet locus est quidam subobscurus qui nos

1. Lc., sect. 2, §§ 8-9, p. 123 sqs.

initio in dubitationem adduxit, non quidem utrum de S. Thomae sententia iterum sit cum animo jungenda necne materia habita per vitam, quia de hac re liquet omnino; sed utrum ea proprie sit jungenda necne quae mortis tempore deposita est. Idem autem locus etiam nunc impedit quominus ipsi apud nos sententiam sine ulla dubitatione ac scrupulo habeamus. Locus in responsione ad 4.um, ex capite 81, 1. IV *Summ. cont. Gent.,* continetur et sic se habet: «Non est autem alius numero homo secundum diversas partes et aetates, quamvis non quidquid materialiter est in homine secundum unum statum sit in eo secundum alium. Sic igitur non requiritur ad hoc quod resurgat homo idem numero, quod quidquid fuit materialiter in eo secundum totum tempus vitae suae resumatur, sed tantum ex eo quantum sufficit ad complementum debitae quantitatis, et praecipue illud resumendum videtur quod perfectius fuit sub forma et specie humanitatis consistens».

Postquam hunc locum attente consideravimus, haec nobis succurrunt quae notemus. In primis locus ita dicit: «non requiritur ad hoc quod resurgat homo idem numero, quod quidquid fuit materialiter in eo secundum totum tempus vitae suae resumatur, sed tantum ex eo quantum sufficit ad complementum debitae quantitatis et praecipue illud resumendum videtur quod perfectius fuit sub forma et specie humanitatis consistens». Haec quidem est formula nonnihil ambigua quae potest sane cum illis cohaerere sententiis quae infinita quadam ratione quamlibet materiam, ex qua totum vitae tempus corpus mortale con-

stitit, tamquam materiam ad corpus resurgens aptam designant, sed quae, etiam posito Traditionis sensu, vera potest esse cum eoque proinde cohaerere.

Etenim duo in his verbis viderentur obstare: a) «non requiritur... quod quidquid fuit materialiter in eo secundum totum tempus vitae suae resumatur, sed tantum ex eo quantum sufficit...»; b) «et praecipue illud resumendum videtur &.»

Priora verba satis explicari videntur. Nam etiamsi Traditionem sequeris, non est supervacaneum illud notare quod «non quidquid fuit materialiter per totum vitae tempus resumetur, sed tantum quantum sufficit»: tum fortasse ob alias causas tum quia ista verba concedunt vel etiam indicant, quum, ad corpus resurgens absolute perfecteque efficiendum, corporis reliquiae non satis materiae suppeditarint, id quod deest posse ex materia per vitam habita decerpi; quem esse Traditionis sensum multi auctores existimarunt[1]; vicissim, si quis verbi causa moreretur deformem habens stipationem concretionemque materiae, hoc nimium, quidquid est, materiae ad reliquias quidem pertinere neque tamen opus esse id etiam cum corpore jungi resurgente.— Neque inenodabilia sunt, ut videtur, *posteriora* verba: «et praecipue illud re-

1. Animadvertatur quam accurate loquatur v. gr. R. P. Muncunill: «... Imprimis animadverto unumquemque debere resurgere cum eo corpore et ea materia cum qua moritur... His positis, dicitur, si materia cum qua quis moritur est sufficiens ad corpus humanum perfectum formandum, cum illa sola materia corpus resurget; si vero, quibuscumque causis, ea materia non sufficeret, *supplenda esset ex materia quae decursu temporis fuit illius hominis.* Et si hoc adhuc non sufficeret..., etc.» *Tract. de Deo creat. et de Noviss.*, disp. IV, c. III, a. IX, sch. I, n. 1029, p. 647. Barcinone 1922.

sumendum videtur quod perfectius fuit sub forma et specie humanitatis consistens», tametsi difficilia prae ceteris ad intelligendum. Primum, quia de S. Thomae sententia eo tempore communi, in ipsis etiam cadaveris reliquiis semper inerit materia quae vario quodam modo, sive perfecto sive minus perfecto, fuit *sub forma et specie humanitatis;* etenim semper inerit tum materia quae fuit caro, tum ea quae fuit tantum *in potentia ad carnem (sanguis, cambium, ros,* &.). Deinde, quia de sententia etiam S. Thomae saepe et fortasse plerumque aliquid materiae a generatoribus tractae manebit; haec autem est materia quae «sub veritate humanae speciei tamquam purissimum perficitur ex virtute formativa» [1]. Profecto, etsi S.Thomas nullam sigillatim materiae partem in corpore esse opinatur quae nequeat decedere atque renovari, idem tamen judicat renovationem, si detur, tardiorem multo esse quam quod asserunt recentiores.

Diximus *si detur,* nam in Sententiarum commentariis [2] eam negare potius videtur et illud tenere, scilicet materiae partes a primordiis habitae semper manere, quamquam usque tenuiores; in Summa vero, respondens argumento cujus fundamentum est materiam, posita longa aetate *(si homo diu viveret),* renovari totam, etsi ejusmodi renovationem Angelicus minime inficiatur, non tamen eam confitetur citiusque eam sive omittit sive permittit [3]. Revocari etiam debet in memoriam alios praeterea illius temporis auctores, ut

1. *Comp. theol. ad Regin.*, c. 162.
2. In II, dist. 30, q. II, a. 1, ad 4.um
3. I. q. 119, a. 1, ad 5.um

illustre ac certum totius materiae renovationis documentum afferant, ad Mathusala v. gr. confugere[1].

Quae quum ita sint, recte Sanctus Doctor poterat tenere e mortui corporis reliquiis effici corpus resurgens, idem praeterea illa dicens: «et praecipue illud resumendum videtur quod perfectius fuit sub forma et specie humanitatis consistens».

Postquam ex hoc scopuloso loco enavigavimus, reliquum demonstrationis cursum, clara S. Thomae documenta percurrentes, citius jam faciliusque conficere poterimus.

Itaque: 1.°) Solet S. Thomas affirmare resurrectionem futuram esse *a cineribus*. Jam vero nullius loci venit nobis in mentem ex quo probabili ulla ratione elici possit materiae partes a corpore *per vitam* decedentes ab Angelico *cineres* vocari. Fortasse causam non plane expedierit sola *cinerum* definitio, quam tradit Sanctus Doctor: «Per cineres intelliguntur omnes reliquiae quae remanent humano corpore resoluto»[2], tametsi ea est ut reliquiarum cadaveris significatio satis plana esse videatur; neque enim dicit S. Thomas «humano corpore se resolvente» aut «dum humanum corpus se resolvit vel resolvitur» sed «humano corpore *resoluto*». Verum hoc omisso, quidquid indiciorum est reliquum ostendere videtur illud, de cujus dissolutione saepenumero agitur, esse corpus mortuum; nimis enim fuerit contorta quaevis alia expositio. Propterea ex ipsis Sententia-

1. Exempli causa Mayron O. M. in IV, dist. 44, «Tertio quaeritur», 4.ª diff. Venetiis 1507, fol. 49 v.
2. In IV, dist. 43, a. IV, sol. II, ad 2.um.

rum commentariis attente legatur quaestio, quam modo citavimus, tertia et quadragesima, in primis *quaestiuncula* III, ac praecipue quod objicitur tertio et quod ad id respondetur[1]: tunc de S. Doctoris sententia quaestio nulla erit.

2.°) Primae ad Corinthios Epistolae in commentario capitis XV haec leguntur: «Dicitur autem mors et resolutio, seminatio; non quod in corpore mortuo vel in cineribus ex eo resolutis sit aliqua virtus ad resurrectionem... sed (diligenter animadvertantur ea quae consequuntur) quia *a Deo talis ordinatio est deputata ut ex eo iterato reformetur corpus humanum*»[2].

3.°) Tandem, etsi S. Doctor in Summa ad explicandam rem nostram non est ingressus, variis tamen locis mentem aperit satis clare. Audiantur duo loci et quidem ex tertia parte. Eorum alter agit de Sanctorum reliquiis venerandis; de quo disputans S. Doctor ac certae cuidam rei quae objicitur respondens, haec scribit: «... corpus mortuum alicujus sancti non est idem numero, quod primo fuit, dum viveret, propter diversitatem formae, quae est anima; est tamen idem identitate materiae, *quae est iterum suae formae*

1. Nihil refert S. Thomam in ea responsione uti vocabulo *pulverum* «... in pulveribus mortuorum, etc.». Nam, praeter quam quod in tota hac quaestione duplici vocabulo *cineribus* et *pulveribus* patet eamdem notionem esse subjectam, hoc praeterea loco S. Doctor qui verbum *cineres* usurpat quum objicit, idem verbum *pulveres* in responsione ad id quod objicitur, adhibet. Ergo ex S. Thomae sententia utrumque vocabulum parem habet significationem.

2. Lect. VI, ed. Vives, p. 44 a.—Utique S. Doctor hos commentarios non ipse scripsit nisi a capite I ad X; at «das übrige treue Nachschrift seiner Vorlesungen durch Reginald von Piperno» (Grabmann, *Thomas von Aquin*, I Theil, II, p. 20, Kemptem und München, 1920).

unienda»[1]. Postea, disputans utrum divinitas a sanctissima mortui Christi carne fuerit disjuncta necne, haec ait, quorum vis atque momentum ad universum genus spectat: «... habet autem caro ab anima quod pertineat ad humanam naturam, etiam postquam anima separatur ab ea; in quantum scilicet *in carne mortua remanet ex divina ordinatione quidam ordo ad resurrectionem;* et ideo non tollitur unio divinitatis ad carnem»[2].

Ergo S. Thomas ea de re, quae est totius responsionis caput, cum Traditione aperte penitusque consentit.

Quaestio altera

«Si quacumque materiae accessione et decessione corpus humanum perseverat idem, qua tandem veri simili ratione postulatur ut ex qua mortis tempore materia corpus humanum constabat, ex eadem constet corpus resurgens?»

Nae ista ratio, quae opponitur, mirabilis prorsus est. Quasi vero nos, mera philosophia impulsi, id decerneremus! Nihil profecto minus. Si materiam quamdam definite statuimus, Traditionis auctoritate ceterorumque argumentorum theologiae ducimur; quibus argumentis libera Dei voluntas ad nos defertur, certioresque efficimur, quum resurgentem hominem divina Majestas rursus effingere posset qualibet ex

1. Q. 25, a. 6, ad 3.um.
2. Q. 50, a. 2, ad 2.um.

quocumque loco vel etiam ex nihilo sumpta materia, nihilo minus eidem placuisse ut, ad hominem rursus efficiendum, illam definite eligeret materiam ex qua homo constabat quum ejus futurae vitae ratio fixa est in sempiternum.

Dixerit nunc quispiam: «Ad hoc ipsum obtinendum potuit etiam aliam eligere!» Potuit sane. Verum istud quid ad rem? Scilicet, ut hoc idem variis diversisque modis insigne faciamus: summa Deus convenientia decrevit ut totus homo denuo effingeretur ad hoc ut ipse integer, non vero animus tantum, aut praemio aut poena afficeretur aeterna. Hoc posito, aliqua erat Deo eligenda materia; porro aeque facile illi erat aliam atque aliam eligere; quid itaque est causae cur illam definite non eligeret quam mortis tempore animus reliquit? Atqui hanc *re et veritate* a Deo esse electam certum exploratumque nobis est ex argumentorum locis monumentisque sacrae theologiae. Enimvero constat Dei sanctissimam voluntatem nullis rationibus esse constrictam. Potuit ipsi satis superque esse ad illam materiam eligendam quod est apta quae eligatur et quod praeterea ita vult ejus libera voluntas; verum potuit etiam Deus alias habere causas sive nobis reconditas et abditas, sive fortasse easdem, partim saltem, quas tum ut congruentia quaedam tum ut insigniter convenientia Sancti Patres et theologi a primis temporibus illustrandas posterisque tradendas judicarunt. Eas autem nos omittimus utpote egredientes e proposito, faciles praeterea, satisque usitatas.

Unum tamen proprie diligenterque notari volumus:

si ipsa mortui corporis materia rursus cum animo jungatur, *perfectissima* ratione effici ut corpus quod cecidit, idem resurgat. Quid itaque mirum si Deus, cui aeque expeditum est hanc atque illam materiam eligere, eam sumere decrevit, qua sumpta verum est *absoluta et perfectissima ratione* corpus, quod cecidit, idem resurgere? Certe, id recte sentientibus non modo nihil mirum videri poterit, verum etiam citius apparebit quam maxime conveniens.

§ II. Nova quaedam forma eorum objiciendi quae de renovatione materiae sunt hactenus disputata

Eam breviter proponemus, iisdem verbis usi quibus est a nonnullis presse dilucideque exposita. Arguit hoc modo R. P. Billot: «Insuper, si restituitur materia quae fuit in corpore senis, resurgens corpus non erit identicum (scilicet ea identitate *materiali* quam adversarius postulat) cum corpore juvenis; et vice versa, si ea quae fuit in corpore juvenis, non erit identicum cum corpore senis. Atqui *regula fidei docet* nos resurrecturos in ea carne quam nunc gestamus, nullo discrimine facto inter varias vitae nostrae mortalis aetates. Signum igitur est quod identitatem praedicat praescindentem ab identitate pure materiali, &.»[1]. Videlicet, ut aliis verbis idem iteremus: «Potest quispiam septimo aetatis anno hunc fidei actum elicere — *credo fore ut hoc idem corpus habens quod nunc gesto, resurgam* —; potest iterum

1. *Quaestiones de Noviss.*, q. VII, th. 13, § 3, p. 173, Romae 1921.

ac saepius illum renovare, decimo quarto, uno et vicesimo aetatis anno &. Singulis temporibus aeque vera est fidei formula, quum tamen nihilo minus materia sit tota renovata. Ergo plane perspicuum est identitatem *definitam* non eam esse, quod attinet ad materiam, quam adhuc exposuimus constanterque asseveravimus».

Egregie quidem! At his omnibus datis, *Majore, Minore, Consequentia,* quid tandem habetur? 1) In primis genus illud identitatis, quod Traditio asserit ac tuetur, a magisterio ecclesiastico *non esse definitum;* sed universe tantum veram quamdam identitatem numericam ab eodem magisterio esse definitam nolente progredi ad expressiora. 2) Fortasse illud etiam concludatur, ex his solis Conciliorum formulis *(... in hac carne quam gestamus, in qua vivimus, movemur* &.) plane et perspicue non posse discerni quo identitatis gradu et ratione corpus mortale et corpus resurgens eadem numero sint futura. Sit ita sane; concedamus primum, alterum permittamus. At, si id quod magisterium ecclesiasticum *formaliter definivit,* minus est discrete minusque distincte expositum, illud quod Traditio nos docet, explicatius est atque perfectius; totam formularum vim significationemque, quibus Concilia utuntur, servans Traditio, demonstrat praeterea distinctius quod magis fortasse communiter magisterium ecclesiasticum continet. Itaque Traditio distincte docet corporis resurgentis materiam futuram esse *physice* eamdem atque mortui corporis, ea nimirum ratione qua rem supra enucleavimus.—Proinde, ecce totum quod

sive concedi sive permitti potest; propterea nos, ut fixis vestigiis perpetuo insisteremus, maluimus initio omnem eam probandi rationem omittere quae his Conciliorum formulis niteretur.

Nihilominus sunt auctores qui ad id concedendum sive permittendum accommodare se nolunt; quin etiam ex ipsis magisterii ecclesiastici *definitionibus* argumentum pro Traditionis sententia elicere volunt. Ne lectores nostros quodammodo fraudare videamur, hoc argumentandi genus, non parum S. Thomae doctrina et auctoritate fundatum, summatim breviterque describemus.

Videlicet: «Corpus resurgens et corpus mortale non possunt esse *minus proprie* eadem atque idem usque est mortale corpus totos vitae annos continuos. Atqui essent minus proprie eadem, si corporis resurgentis materia non esset *physice* eadem atque materia quam aliquo temporis puncto mortale corpus habuit. Ergo...»

Major probatur, a Conciliorum formulis sumpto argumento. Etenim, si ad earum regulam fide confitendum est nos iis, quae nunc habemus, corporibus esse resurrecturos, vicissim quum resurrexerimus fuerimusque in caelo, confiteri poterimus: «Hoc corpus, quod nunc habeo, est idem illud quod in terris habebam; ut fide tunc per vitam saepe credidi, ita nunc verissime et accurate factum esse cerno». Ergo resurgens corpus et mortale corpus nequeunt esse *minus proprie* eadem ac fuit mortale corpus aetatis annos continuos.

Minorem ut probent, iidem auctores animadver-

tunt corpus esse usque idem per totum vitae tempus idcirco saltem quod retinet semper insignem quamdam et maxime propriam identitatem *moralem,* qualem nobis P. Lossada dilucide paulo antea explanavit, illud praecipue afferens de renovata sensim ac pedetentim materia, atque alia ejusdem generis. Atqui, si *repente* et *subito* universa corporis materia mutaretur, nequaquam illa maxime propria identitas *moralis* amplius exsisteret. Quamobrem vera et propria identitas, aut nulla esset aut certe minor.

Ipse S. Thomas id nos satis plane docebit. Quaerens S. Doctor utrum cibus in «veritatem humanae naturae» convertatur necne, objiciens porro sibi id fieri posse non videri, quia accessione ac decessione confecti cibi humanum corpus sensim renovatur ac proinde, si quando ex longa vita renovaretur integrum, corpus jam aliud esset futurum, ita respondet: «... Dicendum quod... quando aliqua materia per se convertitur in ignem, tunc dicitur ignis de novo generari: quando vero aliqua materia convertitur in ignem praeexistentem, dicitur ignis nutriri; unde (diligenter animadvertantur cuncta quae consequuntur) *si tota materia* SIMUL *amittat speciem ignis et alia materia convertatur in ignem, erit alius ignis numero; si vero paulatim combusto uno ligno aliud substituatur et sic deinceps quousque omnia prima consumantur, semper remanet idem ignis numero: quia semper quod additur, transit in praeexsistens:* et *similiter* est intelligendum in corporibus (de homine singillatim proprieque agebat S. Thomas in his quae objecerat) in quibus ex nu-

trimento restauratur id quod per calorem naturalem consumitur»[1].

Ab egregio aliquo S. Thomae interprete eamdem sententiam, tamquam S. Doctoris propriam, placebit audire. Ergo ita v. gr. scribit illustris et gravis auctor Ferrariensis, qui non secus ac S. Thomas agit de homine: «Considerandum secundo ex S. Thoma... quod *aliter* dicendum esset si *tota caro simul* deperderetur et ex alimento alia loco illius substitueretur, et *aliter* si non tota deperdatur simul, sed paulatim una pars illius post aliam deperdatur et loco partis deperditae alia per nutritionem adjungatur; quia *in primo casu nullo modo remaneret eadem caro numero;* in secundo vero remanet eadem... &.»[2].

Perspiciet itaque lector non esse a nobis antea leviter dictum istam argumentandi rationem non parum doctrina S. Thomae et auctoritate esse fundatam; intelliget praeterea, ad R. P. Billot quaestiones quid S. Thomas ipse responderet. Absit sane tam probatum argumentum negligere. Unum tamen animadvertendum esse censemus, illud tantum hac ratione demonstrari, videlicet resurgentis corporis materiam futuram esse eamdem physice atque corporis mortalis ad *aliquod* hujus vitae tempus, non tamen ad extremum ipsum mortis tempus: id enim ex aliis solum theologiae locis, praesertim ex Scriptura et Traditione, constat.

Haec dum scribimus, litteras accipimus illustris

1. I, q. 119, a. 1, ad 5.um.
2. Comm. in II. IV contra Gent., c. 81, ad 4.am obj.

cujusdam auctoris quibus tum alia aliis locis tacta tum hoc idem argumentum quod exposuimus, premitur. Ita dicunt et latine quidem: «In professione fidei quae Waldensibus imponebatur habetur: 'Corde credimus et ore confitemur hujus carnis quam gerimus et non alterius resurrectionem.' Quidam juvenis Waldensis, qui usque ad extremam senectutem erat perventurus, poterat eam professionem facere. Quinam fuisset tunc sensus locutionis 'hujus carnis quam gesto'? Fortassis hic: Hujus materiae quam gesto? Non videtur, quia ea materia, antequam juvenis ille moreretur, erat defluxura. Quid ergo? Non alius videtur quam hic: hujus carnis, seu hujus corporis cum sua structura et figura et individuali fisonomia, et individuantibus characteribus, quibus insignitur corpus quod gesto et non alterius confiteor resurrectionem».

Quae in his acute propositis continentur, dissoluta sunt antea. Itaque breviter responsa libabimus. Scilicet, qui «corde credit et ore confitetur hujus carnis quam gerit et non alterius resurrectionem», is, si proprie loquimur remque accurate et ad vivum resecamus, *(formalissime* loquendo, diceretur in schola) illud unum ex fidei formula profitetur, verissimam quamdam propriamque identitatem numericam corporis mortalis et resurgentis; praeterea nihil ac prorsus nihil amplius, saltem quod inter omnes constet. Itaque sive materia tota renovatur sive non, significationem illius membri «hujus carnis quam gesto» nequaquam possumus certo dicere hanc esse «hujus materiae quam gesto». Quod si quidam theologi, ut modo di-

ximus, aliquid amplius ex Conciliorum formulis exprimi posse volunt, id non jam ad rem *definitam,* quae in formulis istis proprie contineatur possitque cadere in fidei professionem, sed ad theologiae latiorem regionem referatur necesse est. Patet autem illud, quod universe et generatim Conciliorum formulae docent, re ipsa proprio quodam ac definito modo contingere, qui nihil est necesse cur fide teneatur. Hic autem modus aliae rationis erit si materia tota renovatur, aliae si, partim saltem, fixa manet. Sive tamen manet sive renovatur, certe quidem illam materiam, ex qua mortale corpus ad extremum vitae tempus constat, futuram esse *physice* eamdem atque materiam corporis resurgentis, cetera etiam argumenta theologica, praecipue vero Traditionis monumenta demonstrant.

His duobus quasi extremis terminis probe stabilitis et fixis: — α) tum corpus mortale et resurgens vero quodam proprioque modo futura esse eadem numerice, quod ecclesiasticum magisterium definivit; β) tum materiam corporis mortalis ex qua hoc corpus tempore mortis constat, futuram esse eamdem *physice* atque corporis resurgentis, quod Traditio in primis signat et roborat — reliqua sua sponte consequuntur et facile in intelligentiam cadunt. Videlicet, si v. gr. in septem annis materia tota renovatur, materia corporis resurgentis erit *moraliter* eadem atque materia quam corpus mortale per vitam habuit, exceptis postremis septem annis; quod vero attinet ad hos septem postremos annos, erit partim eadem *moraliter,* partim eadem *physice;* omnino vero *physice,* si extrema pars temporis considerabitur.

Proinde, ut brevius fortasse dicamus perspicuamque regulam proferamus: «idem de resurgentis corporis materia dicendum est quod de postrema materia dicitur, ex qua constat mortale corpus; quo modo haec est eadem atque materia quae habita est per vitam, sic materia corporis resurgentis». Atque ista ad rem nostram satis esse videantur.

CAPUT ALTERUM

CONTRARIORUM ALTERUM: MATERIA PRIMA PURA POTENTIA, FORMA VERO SEU HOMINIS ANIMUS ACTUS SUBSTANTIALIS UNICUS IN HOMINE

§ I

Hoc etiam nonnullorum animos perculit, imo percellit atque perturbat. Rumor quidam plaudentium et acclamantium ad nos usque perfertur... At vero, haec contraria ratio, quod demum momentum habet? quin etiam, habetne ullum?

Principio dicendum est aliquid de modo loquendi. Strenuus et alacer Durandus affirmat materiae primae, utpote purae potentiae, omnem a forma *actualitatem* inesse, ac proinde ipsum identitatis ac differentiae actum ex quo materia distingui potest a materia, haec ab illa; quocirca materiam esse eamdem aut diversam, si cum eadem forma jungitur aut diversa[1]. Ad hanc normam si totum loquendi genus accurate direxerimus, vix loqui poterimus. Quî enim fieri potest ut de mutationibus *substantialibus,* in quibus eadem res subjecta ab alia ad aliam abeat formam, sermo ullus habeatur, quum res subjecta eadem aut diversa esse dicatur si sub eamdem formam aut sub diversas subjicitur? Quid enim tunc ab alio in aliud abeat, si

1. In IV, dist. 44, q. I (Antuerpiae 1566) fol. 395 v, nn. 6-7.

id quod abire et mutari dicitur, diversum est in duobus extremis? Fortunate nobis contingit ut in hac causa solitarius ingrediatur Durandus aut vix cum uno aliquo. S. Thomas de identitate aut differentia materiae sub eadem etiam forma saepe loquitur[1]. Ex R. P. Billot haec describimus: «Hinc enim est quod puer et vir non sunt duo individua, sed unum atque idem, non obstantibus omnibus mutationibus factis in materia. Nam dum puer fit vir, saepius deperditur tota ejus materia, et alia substituitur, et *est vere alia in ratione materiae, sed trahitur ad unitatem suppositi per hoc quod semper uni formae subjicitur*»[2]. Quin ipse Durandus, quum ea diluere contendit quae novae et a se excogitatae explicationi objiciuntur, identitatem ab identitate distinguit, notarique vult materiam alia ratione esse eamdem ex forma, alia vero non esse eamdem[3]. Quorsum peregrina et argutissima ista? Loquamur ut omnes fere mortales loquuntur; loquamur ut S. Thomas; ac proinde sub eadem etiam forma de identitate aut differentia materiae.

Audiamus nunc Van der Meersch, qui contrariam nobis explicationem illustri et accurata brevitate exponit: «Ut *idem* resurgat homo, censemus requiri et sufficere ut eadem numero anima iterum uniatur materiae primae sub debitis dimensionibus exsistenti,

1. Supervacaneum esse judicamus testimonia afferre. Eorum quae adduximus antea, aliquod utile esse potest, v. gr. testimonium de Sanctorum reliquiis ex III. q. 25, a. 6, ad 3.um Qui plura volet, legat dist. 43 et 44 in IV Sent.
2. Lc., § 2, p. 170, ed. 1921.
3. Lc., fol. 396 r, n. 9.

sive fuerit sive non fuerit olim informata haec materia ab eadem anima... Etenim si admittitur materiam primam esse puram potentiam, seu principium mere *determinabile,* et ex semetipsa nec quid esse, nec quale, nec quantum; formam vero substantialem esse illud principium *determinans* quod, sub omni respectu, determinat materiam primam et a quo proinde homo est non solum homo sed animal et vivum et corpus et substantia et ens, et etiam *hic* homo et *hoc* animal, &., sequitur quod si eadem numero anima iterum unitur materiae primae, sub debitis dimensionibus, haec anima illi materiae tribuet *omnes determinationes* quas indidit materiae primae cui olim fuerit unita; consequenter compositum quod ex illa unione surgit, non solum quoad speciem sed etiam quoad *omnes notas individuantes* est *idem* quod olim fuit» [1].

Lector qui disserentibus nobis per totum disputationis spatium patienter sit comitatus, mirabitur profecto quod dictum fuerit umquam, quod nunc etiam dicatur ista omnia causae nostrae seu potius Traditionis esse contraria. Etenim, bona venia id quaeramus, universa ista acute dicta *de formante atque formabili, de actu deque pura potentia* adversantur et repugnant, cuinam tandem rei? Propositumne est his demonstrare, qualibet materia ad hominis animum juncta, eumdem iterum exsistere hominem cum eodem plane corpore, eodem videlicet *numerice?* Propositumne est id? Ergo tandem aliquando praecidamus; sit

1. *Collat. Brug.,* t. XV, 1910, p. 691.

sane ita. Verum, hoc aperte concesso ac probe stabilito, num quid demum de ipsa causa, quamvis minimum, prolatum est? De ipsa causa nihil et prorsus nihil. Quod quidem idcirco est quia istis de media philosophia alte elateque dictis, nihil aliud fit nisi mera philosophiae controversia dirimitur; nostra vero causa non philosophica sed theologica ac penitus theologica est. Haec est gravissimi momenti cogitatio totiusque causae caput; eam a prima fere nostri voluminis pagina variis saepe modis nec leviter expressimus; eamdem iterum nonnihil urgere necessarium ducimus. Itaque rursus animadvertimus nequaquam esse veram germanamque quaestionem exsisteretne idem homo cum eodem numero corpore, qualibet cum hominis animo juncta materia. Nihil profecto minus; quod iterum iterumque dicendum est ut quasi insculpatur in mente. Proinde digrediuntur a causa et in confusione versantur qui in praesentia sic ratiocinantur; et quod pejus est, prave loquentes, in speciem tamen recte loqui videntur, quo efficiunt ut alii etiam a vera germanaque quaestione aberrent confuseque et sentiant et disputent.

Ergo tota quaestio est quaestio, ut in schola dicitur, *de facto;* idque sibi dijudicandum proponit (quomodo nunc accurate et plane loquamur ut quorumdam recentiorum falsae perspicuitati et quasi splendidae confusioni resistamus?) utrum Sacrae Litterae, Traditio ceterique theologiae loci aliquid nobis indicent necne de specie modoque identitatis, quam *re et veritate, ex libero Dei decreto, resurgentia habitura sunt corpora.*

Poterant haec quidem esse eadem variis diversisque modis. Exempli causa: a) ex S. Thomae philosophia, cuilibet materiae si jungetur hominis animus, idem homo idemque corpus exsistet; — b) ut popularis quaedam ratio docet quae diligenter esset consideranda si theologiae argumenta deficerent, «identitas corporis videtur salva si eadem anima materiam informans, eamdem structuram, figuram, eosdem characteres individuantes ei tribuat» [1]; atque in hunc modum aliae etiam afferri possunt ejusdem generis explicationes. Verum totus hic labor cassum quiddam et inane est, quum tota demum quaestio de identitate illa constituatur necesse sit, quae, *libere a Deo electa,* ex testimoniis Patrum ceterisque theologiae monumentis liberam Dei voluntatem significantibus ad nos usque pervenit. Hoc, quod est totius caput quaestionis, nisi distincte percipitur penitusque in animo insitum firme constanterque habetur, vix fieri potest ut in hac causa recte et ad id quod agitur congruenter loquamur. Tunc accidit ut multum aliquis ample et elate disserat, de media philosophia gravibus nescio quibus depromptis; simul autem qui audit, si quaestionem distincte perspexit, non possit non tacitus cogitare, molestia quadam animum plus plusque pungente: «At quorsum haec omnia? Egregiae profecto sunt altissimae hae philosophiae commentationes; verum... *non erat his locus.* Scrutemur potius Scripturas Sacras, Patres cunctamque Traditionem, quibus doceamur quid Dominus decer-

1. Ita in epistola privata, quam supra adduximus.

nere et indicare voluerit de modo ac ratione qua, ut scholastici dicunt, *de facto* universorum hominum corpora rursus est eadem effecturus».

§ II

Paulo post quam in Ephemeride *Estudios Eclesiásticos* de identitate resurgentis corporis scripsimus, litteras accepimus a clarissimo viro in quibus quum alia minoris momenti, tum hoc argutum ingeniosumque contra sententiam Traditionis notabatur: «Sententia communis est homines virili aetate resurrecturos; ideo et pueris addenda materia est quam numquam habuerunt et senectute confectis materia etiam est ad eam adjungenda ex qua mortis tempore constabant. Quo posito, ecce jam plerumque fieri non potest ut materia tempore mortis habita, satis sit ad resurrectionem. Ergo latius se fundere debet de identitate corporis mortalis deque corporis resurgentis vera germanaque sententia; et ad *intellectualiores* (ita loqui nunc solent) sapientioresque explicationes nobis est assurgendum, quae nimirum in his minutis non haereant satis popularibus ac rudibus cujusdam determinatae partis materiae, scilicet cadaveris»[1]. Quod per litteras etiam tunc dedimus responsi, nunc, paucis sive mutatis sive additis, proponemus in publico. In hunc itaque modum fere rescripsimus.

I. — Quod objicitur, id in hac praecipue sententia

1. Quae erat gallice scripta epistola, nos eam latine reddimus, profecto nihil de argumenti robore detrahentes.

niti videtur «omnes aetate virili esse resurrecturos» [1]. Profecto paulo post dabimus hanc affirmationem et nostrum ad eam responsum accommodabimus. Verum ante quam id facimus, de istius affirmationis veritate aliquid nobis dicendum esse censemus. Atque initio id est notandum quod semper cujusque disputationis firmissimum debet esse fundamentum, videlicet «non ex incertis certa sunt perpendenda et dijudicanda; contra, iis quae certa rataque sunt firmiter stabilitis, ad eorum normam excutienda sunt ambigua et incerta quaecumque ponderanda». Jam vero, ut haec sententia «corpus resurgens erit idem atque mortale corpus, eadem materia, quam per vitam habuit, cum animo juncta, &.» sententia firmissima est nec ullam habere potest dubitationem pro eaque pugnat, agmine pleno, *universa* Patrum Traditio ceterorumque locorum argumenta theologica: sic nova haec affirmatio «omnes aetate virili resurgemus» nullo fulcitur theologico argumento quod satis grave firmumque sit, certe quidem quod apud judicem prudentem rerumque justum aestimatorem vel minimum valeat ad illam Patrum de identitate corporis infirmandam certam perpetuamque sententiam. Nunc, etsi cursim vel etiam raptim, ad singula percurrenda veniamus.

1. Sententiae de virili aetate resurgentium Scriptura non favet. Unus ex epistola ad Eph. IV, 13 adduci solebat locus; sed jam multo abhinc tempore desitus est afferri, quum de alia re clarissime agat,

1. Pulchre exponit hanc opinionem S. Thomas in Suppl., q. 81, a. 1, in corp.

quem ad modum inter optimos interpretes constat. Quin imo, multo veri similius Scripturarum nonnulli loci pro contraria opinione possunt inveniri: exempli causa viginti quatuor *seniores,* de quibus sermo est in Apoc. IV, 10, optima fuerint imago qua modo agenti et insigni exprimatur remanere in caelo venerandam senectutem, viribus tamen vigentem aetatique congruente pulchritudine, atque perfecto in membra dominatu.

2. Non recentiora tantum, ut passim videre licet, sed antiquitatis etiam christianae monumenta: picturae, poemata, alia ejusdem generis, quum aeternam vitam exprimunt, pueros non dubitant exhibere. Quod ideo dicimus ut appareat, si minus argumenta gravia, at saltem conjecturas et indicia quaedam ex his monumentis posse capi quae virili omnium resurgentium aetati aut aliquantulum obstent aut certe non faveant.

Notissimi sunt omnibus versus illi quos ex Prudentio Ecclesia in liturgiam recepit:

«Salvete, flores martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas!

Vos, prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipsam simplices
Palma et coronis luditis...»[1].

1. *Cathem.,* XII *de Epiph.,* 125-132; ML 59, 908-909.

Recentioribus omissis, ex antiquis tabulis, quibus beata vita caelestis depingitur, R. P. S. Scaglia O. C. R. in pulchro volumine *I «Novissimi»*, &., tabulam quamdam exhibet in qua viri et feminae varia aetate inducuntur, puer etiam et puella duodecim fere vel quindecim annorum [1].

3. Argumentum ex Patribus sumptum *nullum* est, non quod nulli Patres juventutis aetatem omnibus resurgentibus adscripserint sed quia eorum sententia iis notis *certo* caret, quibus Patrum argumentum ornatum esse debet. Quantum scimus (nam locum istum non aeque scrutati sumus atque illum de identitate), sero hac de re et a paucis omnino auctoribus, praesertim ex Oriente, quaestio est instituta.

Saeculo IV invenimus in Occidente *S. Hilarium,* de cujus sententia Deus non solum «universorum corporum, quae vitam hauserint, diversitatem in unum consummatum virum perfectumque sit excitaturus» verum etiam (quod vix ullus admittit) «aequalem atque uniformem omnem hominem» effecturus [2]. Ita paucis verbis S. Doctor, appellans fortasse locum illum ex Eph. IV, 13.—In Oriente *S. Gregorius Nyssenus* de tota hac quaestione copiose et acutissime suo more et modo disputat [3], omnem tollens differentiam aetatum, quum natura humana, in pristinum statum per resurrectionem rediens, θεῖόν τι χρῆμα [4] exsis-

1. *I «Novissimi» nei monum. primit. della Chiesa,* Colec. «Fede e Scienza», ser. 8, nn. 72-73, VI. p. 87, Roma 1910.
2. In Matth., c. V. n. 9; ML 9, 947.
3. In libro *De anima et resurrect.;* MG 46, 137 sqs., 148-149, 156, etc.
4. Lc., col. 148.

tat. Verum hic Pater, ingeniose et argute hac in re disputans, philosophus tibi potius quam theologus aut Traditionis testis jure meritoque videatur.

Saeculo V *S. Petrus Chrysologus* in quadam contione brevissimam hanc sententiam habet: «Vident juvenem (mulieres de quibus S. Marcus cp. XVI, 1) ut cernerent nostrae resurrectionis aetatem; vident juvenem, quia nescit resurrectio senectutem, neque aetates recipit aeterna perfectio»[1]. Paulo ante S. Petrum Chrysologum de eadem re longius egerat *Magnus Augustinus,* et quidem prudenter, ut assolet, et caute: «Resurgent itaque omnes tam magni corpore quam vel erant vel futuri erant in juvenili aetate, quamvis nihil oberit etiamsi erit infantilis vel senilis corporis forma, ubi nec mentis nec ipsius corporis ulla remanebit infirmitas. Unde etiam si quis in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrecturum unumquemque contendit, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum»[2].

Hanc prudentiam imitari solent scriptores ex Occidente (nam in Oriente vix deinceps loquuntur), qui nihil fere agunt nisi ex Augustino tradunt selecta quaedam.

Exempli causa *S. Julianus Toletanus* his verbis ad aetatem resurgentium exponendam aggreditur: «*Plerisque pertinaciter ac varie de hac quaestione certantibus,* beatus Augustinus responsurum se perhibens...»; adjungitur satis longum Augustini testi-

1. *Sem.* LXXXII; ML 52, 431.
2. *De Civ. Dei.,* l. 22, c. 16; ML 41, 778. Et saepe aliis locis eadem modestia.

monium, in quo sunt verba quae modo adduximus. Augustini testimonio locus adscribitur ex *Juliano Pomerio* qui sententiam suam concludit hoc pacto: «... Aut si hoc *magis* congruit illi saeculo beato, in quo omnes sancti sine ullo beatitudinis suae defectu victuri sunt, ut aliqua aetatum differentia ibi futura sit, sic erit ibi ut impedimento aut dedecori sine fine regnantibus non sit»[1]. Temperatus hic agendi modus, ut scholasticos interim omittamus, posteriora etiam saecula viguit.

Ita saeculo XII prudentissimus ille vir, sanctus atque sapiens, *Hugo a S. Victore*, cujus commentarius «de Novissimis» Patrum voce totus personat, ex S. Augustino haec selecta decerpit: «Resurgent itaque omnes tam magni corpore quam vel erant vel futuri erant juvenili aetate. Si quis vero in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrecturum unumquemque contendit, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum»[2]. — Eamdem responsionem reddere incipiebat scriptor quidam popularis, Hugonis, ut videtur, aequalis, cujus opuscula latissime sunt illo tempore disseminata: *Honorius Augustodunensis,* de quo antea loquuti sumus. Ejus in *Elucidario* quaerit discipulus: «In qua aetate vel in qua mensura erunt (electi)?» Respondet praecise magister suo more: «Ut Christus, quando resurrexit». Verum, ut hoc responsum indicavit, statim sensus popularis erumpere videtur et alterum fere obruere. Pergit enim

1. *Prognost.* l. III, c. 20; ML 96, 505-506.
2. *De sacram. christ. fidei,* l. II, pars XVII, c. 19; ML 176, 605.

magister: «Verumtamen cum sit hic delectabile pueros senibus mistos, viris mulieres, longis breves, junctos cernere; credibile est multo delectabilius esse ibi singulis aetatibus, singulis mensuris utrumque sexum virorum et mulierum conspicere; sicut hic delectabile est diversas voces in organis vel in fidibus audire. Unde *magis credendum est* omnes in illa aetate et in illa mensura resurgere et ibi apparere qua contigit eos hinc migrare» [1].

His duobus auctoribus duplex usitata sentiendi cogitandique forma et species contineri videtur: sapientiores in virilem aetatem potius inclinant; populares vero in eam varietatem quam hic in terris cernimus et quae hic certe placet.

Unus tamen est Pater, quantum scimus, *S. Hieronymus* qui de virili resurgentium aetate sollemni quodam modo pronuntiat certam stabilemque sententiam. Sic enim quadam in epistola scribit: «Igitur *juxta Ecclesiarum traditiones* et apostolum Paulum, illud est respondendum: quod in virum perfectum et in mensuram aetatis plenitudinis Christi resurrecturi sumus (Eph. IV) in qua et Adam... &.» [2]. Verum hoc testimonium remanet solitarium continetque praeterea admirabilitatis non parum. Ecclesiarum traditiones unus Hieronymus appellat, quamvis strictim et quasi per transennam, nullo interposito exemplo, auctoritate nulla; ex aliis Patribus eas appellat nemo. Certe traditiones has nullus noverat S. Augustinus, nullus

1. *Elucid.* l. III, 16; ML 172, 1169.
2. Ep. 108; ML 22, 902.

S. Julianus, ceteri qui de hac re tractant. Praeterea ipse S. Hieronymus, quum Epistolam ad Eph. explanat, interpretationem istam de virili resurgentium aetate prorsus omittit. Ergo solitarium istud vehementis et eloquentis Hieronymi testimonium cautissime accipi debet.

Pauca sunt et valde sera haec Patrum pro virili aetate resurgentium exempla. Sapientiores itaque vetustiora vel saltem plura ex saeculo IV in medium proferant et nos velint docere.

4. Remanent scholastici, qui aetatem virilem tueri solent; de quibus proinde aliquid est dicendum, in primis vero de *S. Thoma*.

Profecto Doctoris Angelici auctoritas talis ac tanta est ut vel ea sola cautos ac vigilantes reddere nos debeat ne temere in sensum popularem erumpere audeamus. At, quamvis Angelicum sequamur, curandum etiam nobis est ut intra terminos, quibus Angelicus se continet, nos ipsi continere videamur. Atqui Angelicus, quum rem de industria tractat, argumenta theologica propria non affert, non Scripturam, non Traditionem[1]. Quod si in commentario ad Eph. locum capitis IV de aetate virili interpretatur, idem Doctor paulo post fatetur hunc locum posse aliter explicari[2]. Itaque sententiam de virili aetate praefert quidem S. Doctor, qua tamen mentis firmitate id faciat jure dixeris non satis liquere.

1. Cfr. in IV, dist. 44, Q. I, a. III, q. 1, sol. I. — In «sed contra» adhibet locum ad Eph. IV, 13 de quo vide quae supra diximus; fortasse etiam adducit S. Augustinum, quamvis hujus testimonium ad tempus, quo incipit juvenilis aetas, referendum esse videatur.

2. *In Ep. ad Eph.*, c. IV, lect. IV, ad finem.

Reliqui scholastici partim modeste ac timide loquuntur, partim alia non afferunt documenta aut vix alia praeter locum ad Eph., S. Augustinum, S. Thomam, quorum sententiam jam expendimus, et omnino paucos auctores.

Exempli causa, ita scribit *Tanner* († 1632): «... ex *probabili* sententia omnes resurgent in eadem aetate juvenili, ut cum S. Thoma... docent *communius* ceteri scholastici, &.» [1]. Nostris temporibus prudens auctor *Petrus Einig* dicit: «Omnes in eadem aetate resurgere *opinati sunt* scholastici», adducitque locum S. Thomae[2]. Anno 1928 iterum prodit in lucem optimum Doctoris *Egger* Episcopi Brixinensis *Enchiridion theologiae dogmaticae specialis,* accurate diligenterque elimatum et auctum a Doctore *A. Mayer.* In eo autem legimus: «Plerumque docent *Theologi* unumquemque resurrecturum in *juvenili aetate.* Quibus praeiverat *S. Augustinus.*» Atque haec est unica quae affertur, auctoritas; quam post, idem auctor adjungit: «Aliqui tamen opinantur caelestem urbem Jerusalem variis incolarum aetatibus excultam esse, cum aetas senilis quoque et infantilis gaudeat suis propriis privilegiis. Nonne in Apocalypsis cap. 4 sermo est de senioribus, qui juvenes 30 annorum cogitari vix possunt, et in hymno *Salvete flores martyrum* pueri innocentes palma et coronis ludere dicuntur? quae quamvis metaphorice intelligantur, aliquam aetatum

1. *Theol. schol.* t. IV; disp. II, *de oeconom. Verbi* etc., q. IV, dub. II, n. 51, Ingolstadii 1627, cols. 679-680.
2. *Instit. Theol. dogm., de Deo Consumm.* c. II, th. 7, sch. 1, p. 59, not. 2, Treveris 1898.

differentiam indicare videntur»[1]. Tandem illustris theologus *J.-B. Terrien S. J.*, quamvis in Sanctorum Augustini et Thomae sententiam inclinare videatur, haec sapienter notat: «Du reste, cette règle (scilicet omnes resurrecturos aetate virili) ne doit pas être comprise avec une exactitude mathématique. Il semble convenable qu'il y ait dans l'apparence extérieure des ressuscités quelque chose qui rappelle leur vie d'icibas. On aime à penser qu'un saint Stanislas, par exemple, conservera les grâces de sa jeunesse, et le vieillard Siméon, la noble majesté qui le caractérisait, quand il reçut entre ses bras le Sauveur du monde. C'est à peu près tout ce qu'on peut dire sur une matière où le Saint-Esprit n'a rien voulu définir»[2].

Ergo tandem sit haec fixa atque rata sententia: *praeposterum esse parumque sapiens ex aetate resurgentium arma capere contra certam stabilemque omnium Patrum de identitate resurgentis corporis explicationem.*

II.—Verum tamen esto; aetate virili omnes resurgant. Numquid istud cum explicatione Patrum de identitate materiae nequit cohaerere?

In primis neque S. Augustinus neque Doctor Angelicus neque S. Bonaventura, Scotus, Suárez has duas affirmationes secum pugnare viderunt; utramque simul, etsi non eadem asseveratione, singillatim proprieque tenuerunt; neque tamen ullum, vel minimum,

1. Tract. XIV, *de Novissimis*, c. III, *de fine mundi*, a. 2, th. 302, n. 726, p. 1163, ed. nona (Brixinae 1928).
2. *La grâce et la gloire*, t. II, l. X, c. 2, n. 4, pp. 268-269, Paris sine temporis notatione.

scrupulum id eis injecit; neque ideo de necessitate ascendendi *ad intellectualiores explicationes* admonitos se umquam existimarunt. Nolumus ergo nos plus sapere quam majores nostri nec eorum explicationes, tamquam si rudes essent atque pueriles, devitare ac negligere. Itaque expressa majorum nostrorum vestigia prementes, asserimus id quod illi asserebant: scilicet, «pueri, verbi gratia, cum eadem materia, quam morte reliquerunt, resurgent; addetur autem quantum deerit ad hoc ut corpus habeant hominis perfecti» [1].

Profecto si ad solam philosophiae normam quaestio esset dijudicanda, nonnulli aut fortasse etiam multi responsionem hanc libenter omitterent, ut potius ex philosophorum scholis alta quaedam repetentes ingeniose et optime excogitata, rem totam explicarent; verum theologica argumenta nobis voluntatem Dei demonstrant qui singulari quodam modo et ex propria quadam ac definita materia hominem rursus fingere decrevit. Qua in voluntate quid est cur aliquid minus sapiens, minusque conveniens appareat, quum potius in ea non quocumque modo sed *perfectissimo et absoluto* efficiatur ut id quod cecidit, resurgat? Nimirum, ut eadem iterantes magis insignia faciamus, voluit Deus sapientissime ut totus homo de integro formaretur. Aliquam proinde materiam eligere debuit. Jam vero aeque facile illi erat aliam atque aliam eligere. Quid est itaque cur illam eligere non potuerit

1. Cfr. S. Thomam: In IV, dist. 44, Q. I, a. II, q. IV, ad 3um (ad finem) —Suárez: *De myst. vitae Xti.*, disp. 44, s. II, n. 7 (ed. Vives) pp. 749-750.

quam mortis tempore animus reliquit, quamvis sola non sit satis sed plus addere sit necessarium? Certe si nos postulavimus ut eadem omnino materia rursus cum animo jungatur idcirco quia resurgentis corporis identitas aliter servari nullo modo potest, quaedam nobis opponi possunt quae multa explicatione indigent; eamdem enim materiam modo quasi mathematico in corpore resurgente haberi quae fuit quondam in corpore mortali, est interdum difficillimum ut in abortivis et quae sunt generis ejusdem. Itaque non quia identitas nullo pacto queat aliter obtineri, sed quia Deus hoc definito modo voluit eam obtinere, dicimus eamdem materiam, quae morte est relicta, rursus cum animo esse copulandam; cujus sanctissimae voluntatis ea demum *potuit* esse causa quod hac ratione et via *id quod cecidit resurgit, et quidem eo modo qui est omnium fere perfectissimus et maxime verus,* aut certe magis perfectus quam ille, quisquis est, in quo materia, tempore mortis habita, in sepulchro derelinquatur.

EPILOGUS

Quum Sacras Scripturas in primisque Traditionis monumenta satis copiose, pro nostra facultate, produxerimus, brevi praecidemus. Quod nobis ad judicium de hac tota causa ferendum, caput videtur esse, id paucis expressum notatumque proponemus.

Scribebamus initio hujus libelli: «De identitate corporis mortalis corporisque resurgentis... deviam quamdam ab antiqua explicationem nonnulli theologi nostris diebus nova juventute novaque auctoritate donare voluerunt. Illam ergo de integro diligentissime expendi necesse est ut, antequam in theologiam admittitur, quo jure tandem accedat, in bono lumine collocetur. Ad hujusmodi faciendam investigationem, juverint fortasse quae, tametsi tenui imperfectaque ratione, nunc disputaturi sumus».

Quantum in nobis erat, in hac causa laboravimus. Tempus itaque est judicii nostri fideliter sincereque aperiendi. Ergo explicatio illa, quae negat opus esse eamdem materiam iterum cum animo jungi ad hoc ut homo eodem corpore resurgat quem ad modum Deus libero consilio decrevit, estne iis argumentis fundata quibus in theologiam jure meritoque penetrare possit ibique, inter opiniones minus quidem probabiles sed tamen probabiles, sedem ac domicilium collocare? Diu multumque dubitavimus ea quae apud nos de hac causa judicamus, in medium plene aperteque proferre.

Verum tamen lector, qui nobis per totam hanc disquisitionem comitatus fuerit, jure videtur posse postulare ne de judicio nostro eum celemus. Quapropter, omnem adhibentes reverentiam adversus homines, atque ea penitus seponentes quae non ad rem ipsam spectare videantur, existimamus recentiorum explicationem, si in se ipsa consideratur, etiamsi patronorum auctoritas attenditur, non eam esse quae in sanam theologiam recipi possit; quin imo, si haec eadem explicatio ad theologiae normam diligenter perpenditur propriusque loquendi modus tenetur, judicamus eam de *temeritate* debere damnari.

Quum Suárez quid sit *temeraria* sententia declarat, haec scribit post adductum S. Thomam II^{a}-II^{ae}, q. 53, a. 3, ad 2: «Hinc ergo propositio *temeraria* dicitur generaliter quae sine rationis regula profertur; sub regula autem rationis auctoritas comprehendenda est, quia de plerisque rebus ratio ipsa dictat multum ex auctoritate pendere. Maxime tamen hoc verum est in materia de qua tractamus; agimus enim de temeraria propositione in materia fidei vel theologiae, quae in auctoritate maxime nititur. Unde duplex gradus hujus propositionis subdistingui potest: nam quaedam dici potest positive temeraria, alia privative. *Positive* dico, *quando pugnat contra receptam sententiam vel Patrum vel scholasticorum, ita ut omnes vel fere omnes in illa conveniant, etiamsi* (N. B.) *non asserant esse certam, sed omnino probabiliorem aut simpliciter veram;* quia tunc vix fieri potest ut secundum regulam rationis possit aliquis tantae auctoritati opponi, quia non est credibile tot Patres

sine cogente ratione vel sacro testimonio in eam sententiam conspirasse, ideoque non potest contraria propositio efficaci ratione uti»[1].

Jam vero recentiorum explicatio communi omnium omnino Patrum sententiae plane repugnat; quin etiam possumus dicere, communi omnium sententiae: scilicet sacrae liturgiae, Sanctorum Patrum, S. Thomae, S. Bonaventurae ceterorumque omnium scriptorum, qui quidem orthodoxi sunt, ad auream usque aetatem philosophiae ac theologiae scholasticae. Haec «nubes testium», hi omnes, parentes nostri ac magistri, quibus adscribendi sunt etiam quicumque fere theologi usque ad medium saeculum XIX exstiterunt, Sacris Litteris plerumque nituntur quas modo simplici et plano interpretantur. Iidem, ne uno quidem excepto, Traditionis explicationem non solum probabiliorem non vocant (quod tamen nequaquam obstaret, ut Suárez dicebat) sed potius eam tamquam *unicam* exhibent; quin etiam, interdum minime contenti si eamdem certam appellant, quemcumque alium explicandi modum, similem in summa ipsa rationi modoque illi quem recentiores usurpant, gravibus inustis notis, procul vehementer repellunt. Recentiores, contra, pauci sunt; praeterea, rarissimo aliquo excepto, tenuis auctoritatis in theologia; quum autem, quod rarissimum est, auctoritatem habent, antiquitatis monumenta non norunt et quod pejus est, a vera germanaque totius contemplandae causae ratione aberrant atque in confusione versantur.

1. *De fide*, disp. 19, s. II, n. 20.—Cfr. Salmanticenses, *de fide*, disp. 9, dub. IV, § II, n. 60.

Est etiam considerandum fieri non posse ut argumenta pro recentiorum explicatione momentum habeant vel ob id solum quod tot saecula viguit florentissima Patrum majorumque auctoritas qualem supra nobis Suárez descripsit. Sed est praeterea in nostra causa multo plus efficacitatis ac roboris. Etenim argumenta quae afferuntur Traditionis explicationi contraria, si accurate penitusque aestimantur, levia et infirma esse reperiuntur. 1) Celebris illa ratio nimium praedicata quae nititur materia *pura potentia* &., nihil est aliud, ut in scholis dicitur, nisi mera *ignoratio elenchi;* vox clarissima et magnifica, verum *extra chorum,* scilicet *extra quaestionem.* 2) Illa vero ratio quae universae materiae renovationem objicit, nec firmo scientiae fundamento constituta est nec, etiamsi id esset firmum, stare ipsa potest; siquidem, posita etiam totius materiae renovatione, mortalis corporis ac resurgentis identitas recte congruenterque explicatur.

His omnibus nos moti, quum nostrum judicium proferre jam de tota causa debeamus, non possumus quin affirmare perseveremus recentiorum explicationem, si theologice loqui volumus, nostro judicio, sincero quidem quamvis tenui, dicendam esse *temerariam;* qua inurenda censoria nota nihil facimus nisi sequimur illustria exempla. Profecto novimus tempore recenti graviores etiam esse inustas notas; a quibus nos sive approbandis sive improbandis penitus abstinemus. Fortiter contra dicentium numerus ubique coepit augeri. Ipsa in Gallia, quae maximas adhuc benevolentiae significationes recentiorum explicationi de-

derat, viri graves et auctoritate praestantes suum de ista novitate censorium judicium satis acriter pronuntiarunt.

Ordiamur exempli causa a theologo veneratione dignissimo *Ad. Tanquerey,* cujus opera theologica quanti ab omnibus aestimentur illud manifesto declarat quod multo abhinc tempore sunt jam diffusa latissime. Optimus hic auctor, tum scientia et copia tum prudentia praestans, quum his postremis annis propter jam prope actam decursamque aetatem volumina sua diligentissime vellet probare, ut quam maxime accurata et quasi fixa posteris fruenda relinqueret, sibi contra recentiores a Traditionis sententia fortius standum esse duxit. Itaque, scribens hoc ipso anno 1929 de re nostra, primum sententiam hanc fundamenti instar pronuntiat: «Cum hic agatur de veritate revelata, ea (sententia) seligenda est quae fontibus revelatis magis consentanea videtur.» [1] Deinde recentiorum novitatem exponit, praecipuis ejus patronis adductis: Durando et L. Billot. Tum addit: «Communis tamen sententia est corpus resurgentium constare *partim* saltem ex eadem numero materia ex qua prius constitit. Ita plerique theologi cum *S. Thoma;* et multi putant eam esse *moraliter certam.* — Haec enim sententia, et quidem sola, consentanea videtur modo loquendi Scripturae, Patrum ac Conciliorum» [2]. Postrema haec sententia, quam Tanquerey initio tamquam

1. *Synops. theol. dogm.,* t. III, *Eschat.* c. II *De Noviss. mundi,* art. II, § I, «Quo sensu intelligenda sit corporum suscitatorum identitas», n. 1176; ed. 21, Parisiis, Tornaci, Romae 1929.
2. Lc., n. 1177.

fundamentum prudenter jecerat, adeo fixa haeret in ejus mente ut deinceps ea tamquam singulorum fere argumentorum clausula utatur. Nam Scripturae argumentum sic concludit: «Jam vero haec omnia non nisi aegre explicantur in systemate Durandi, dum omnino consentanea sunt communi sententiae»[1]. Testimoniis Patrum allatis adjungit: «Atqui haec omnia vix intelligi queunt nisi pars saltem corporum viventium inveniatur in corporibus suscitatis»[2] Profecto haec saepius iterata non parvam habent significationem, quum de auctore agatur qui (etsi fortasse solum ob reverentiam) a pristina sua severitate discesserat. Et ille quidem hoc ipso anno 1929.

Anno 1927 *R. P. Adhaemarus d'Alès* in Universitate Gregoriana Professor, etsi doctrinae de *materia prima pura potentia* penitus addictus, tamen in eximia commentatione *Résurrection de la chair* tum alia multa praeclara tum haec scribit: «On ne saurait dissimuler que la tradition demeure attachée à une certaine identité des éléments matériels, dont nous ne voyons pas clairement que l'on rende compte par le seul appel à l'âme, forme substantielle du corps; identité qui persiste après que ces éléments matériels sont déchus, par la mort, du degré d'être qu'ils occupaient dans la personne humaine, et qui doit être le fondement de la résurrection corporelle. Cette identité est reconnue par un docteur aussi fermement attaché

1. *Synops. theol. dogm.*, t. III, *Eschat.* c. II *De Noviss. mundi*, art. II, § I, «Quo sensu intelligenda sit corporum suscitatorum identitas», n. 1178 (A).
2. Ibid. (B).

à l'unité de forme substantielle que saint Thomas» [1].

Non multo abhinc tempore, exeunte anno 1921, ad occasionem voluminis judicandi *de Novissimis* cujus auctor erat tunc *R. P. A. Lépicier O. Serv. B. M. V.*, nunc vero Emnus. S. R. E. Cardinalis, scribebat *R. P. Hugon O. P.*: «Un autre point que le docte Servite fait très bien ressortir, c'est *l'identite du corps* dans la résurrection, cette identité *numérique*, qui ne saurait être expliquée par la *seule identité de l'âme*. Il ne semble donc pas possible d'admettre la théorie du cardinal Billot» [2]. Emnus. Cardinalis Lépicier quum alia acriter dicta tum haec habet: «Ex quibus omnibus rite concluditur *certam Ecclesiae mentem esse* ipsissimas defunctorum exuvias in ultima die resurrecturas» [3]. Speramus fore ut horum illustrium virorum auctoritas devias quorumdam mentes regat atque confirmet. Non est praeterea veri simile ut Angelicus Doctor in causa tanti ponderis ac momenti, si ad theologiam spectes, in qua causa idem, sacra majorum vestigia persequens, tam firmiter, constanter aperteque certam sententiam dixit, a Patribus Praedicatoribus deseratur.

Hujus non tam exspectationis quam rei ac veritatis certae recentissima et praeclara simul exempla ponamus. Vir sane prudens, in theologia egregie versatus, Sacri Palatii nunc Magister, *R. P. Marcus Sales O. P.*, quum anno 1925 judicium faceret libri

1. *Dictionn. apol. de la foi cath.* sous la direct. de A. d'Alès, *Résurrect. de la chair*, col. 1003.
2. *Revue thomiste*, 1921, p. 318. — Cfr. ejusdem auctoris *Tract. dogmat.*, v. IV, *de Noviss.*, q. V, a. II, n. IV, pp. 469-471 (Parisiis 1920).
3. *De Noviss.*, q. VII, a. 4, n. 13, p. 428 (Parisiis 1921).

P. Muncunill *De Deo Creatore et de Novissimis,* ad nostram causam singillatim proprieque spectans affirmavit rem adversus recentiores *egregie* ab auctore demonstrari atque iis quae opponuntur, cumulate satis fieri; «... il ch. auctore prova egregiamente, come essa (futura resurrectio) esiga che l'anima riassuma la stessa numerica materia a cui fu unita prima della morte. Affinchè infatti il corpo risuscitato sia numericamente identico a quello di prima, non basta che sia informato dalla stessa anima, ma è necessario che abbia la stessa numerica materia, che aveva prima della morte. Se nella risurrezione l'anima venisse unita a un'altra materia, si avrebbe allora non già una risurrezione, ma una nuova assunzione di corpo da parte dell'anima..... L'autore risponde pure esaurientemente a tutte le difficoltà, che si possono fare in contrario» [1]. Ex eodem illustri Praedicatorum Ordine *R. P. Didacum M. Ramírez,* Universitatis Friburgensis Professorem eumdemque acuti atque subtilis ingenii theologum, nominemus. Praeclarus hic theologus auctoritate, qua pollet, affirmat: a) recentiorum explicationem jure meritoque dicendam esse *temerariam* — b) eorum argumenta nihil valere — c) quamdam Traditionis sententiae expositionem, ubi contrariae rationes copiose refutantur, variis esse linguis exprimendam ut dissentientes auctores *ab errore* ad veritatem convertantur [2]. Scribebat haec P. Ramírez anno 1925.

Quid amplius? Ab his qui procul sunt, extra reli-

1. *La Scuola cattol.*, 1925, anno LIII, s. VI, v. V, pp. 390-391.
2. *La Ciencia tomista,* 1925, anno XVII, t. 31, pp. 274-276.

gionis catholicae terminos, graves nuntii rumoresque veniunt quibus vigilantes reddi oportet eos qui a Traditionis sententia incauti recesserunt. Exeunte anno 1921, Carolus Eduardus Douglas, pastor protestans, Doctorem Henricum Dewsbury Alves Major, pastorem quoque protestantem, de tenenda adversus religionem christianam resurrectionis sententia, apud Dominum Episcopum Oxfordiensem accusavit. Apud eumdem Episcopum excusavit se Doctor Major per longam epistolam. Quum de corrupta christiana sententia accusaretur, poterat fortasse videri curandum esse Doctori Major ut ostenderet christianorum hac in re sententiam aut, sive jam inde a principio sive serius, non satis planam fuisse, aut variis diversisque temporibus fluctuasse. At nihil profecto minus. In hanc viam, quae cunctis nostram de resurrectione causam perspicientibus est penitus interclusa, Dr. Major non ingreditur; verum aliam sibi ineundam putat, a qua prohibentur quidem catholici sed quae admodum consentanea congruensque videri debuit viro protestanti, imo vero modernistae. Defensionis summa haec est: «Traditionis christianae de resurrectione sententia in Anglicana Ecclesia prorsus commutata est». Id ut ostendat, duplicem inter se auctoritatum seriem confert, temporum notatione distinctam: alteram totius antiquitatis; alteram recentium ecclesiae anglicanae theologorum, inde ab anno 1853 profectam, undecim post annis quam in continente catholica vox adversus Traditionis sententiam fuerat missa. Integra epistola dignissima est quae legatur et multas atque graves suggerit cogitationes. Describamus aliquem

locum: «... No one acquainted with current theological thought will, I think, deny that these extracts are typical of the belief and doctrine of modern educated teachers within the Church of England. They are as typical of our day as the extracts I have given from the Fathers and Reformers are typical of their day.

But no one can fail to observe an astounding difference between the two series of extracts. The teaching of these modern English theologians constitutes in its assertions and implications an absolute denial of the Catholic doctrine as to the mode of the resurrection of the dead. For if there be a doctrine which can adequately meet those three great tests of Catholicity which S. Vincent of Lerins insists on in the *Commonitorium* (cf. especially c. 2) — antiquity, universality, and consent — it is the doctrine held by *(N. B.!) the whole Church from the first century down to the nineteenth century,* and even to-day still held by the majority of Christians throughout the world.

But it will be clear from an examination of these extracts from our modern English theologians that the doctrine of the mode of the resurrection which they hold is not the traditional Catholic doctrine of the resurrection of the flesh, which we have designated «the resurrection of relics»; neither is it the spiritualized version of the same doctrine which was taught by Origen, and which we have designated «the germ theory of the resurrection». We are not concerned here and now to elucidate what is the exact mode of the resurrection of the dead which these English

theologians hold, but wat they do *not* hold is quite clear. They do not hold the Catholic doctrine of the mode of the resurrection of the dead...

To some the surrender of a Catholic doctrine will seem deplorable; but to me, the way in which it is surrendered by those who would still claim to hold the whole of the traditional Catholic Fait in its integrity seems more grievous, because it is a sin against sincerity» [1].

Hujus gravissimi testimonii nihil est cur nos conficiamus commentarium. Unum monemus: Si quis heterodoxus infinita quadam ratione affirmaret catholicos recenti tempore ab universae antiquitatis certa rataque sententia devios aberrasse, iniquissime judicaret. Nimium enim concederet minimae cuidam dissentientium parti. Quae tamen utinam aliquando funditus tollatur ut a sacra majorum nostrorum ac veneranda sententia incorruptae catholicorum omnium mentes splendide perpetuoque colluceant!

1. *The Doctrine of the Resurrection of the Body - Documents Relating to the Question of Heresy raised against the Rev. H. D. A. Major...* issued by the Right Rev. H. M. Burge, D. D., Lord Bishop of Oxford, II Reply... pp. 46-48 (London-Oxford, 1922).

INDEX NOMINUM

N positum ante numeros designat notam

Abaelardus Traditioni inhaeret 126 et n. 1.
«Adamantius» dialogi auctor 28; 97 n. 1.
Adrianus S. divulsa a se membra alloquebatur 105.
Aegidius Romanus defendit eamdem materiam cum hominis animo in resurrectione junctum iri, positis etiam nonnullis difficillimis 140-142.
Aeneas Gazaeus 91 n. 2.
Albertus Magnus B. 132, 135.
Alcuinus testimonia Augustini optime legit atque componit 119-120.
Alès Adhaemarus de S. J. 264.
Alphonsus M. de Ligorio S. 165.
Amann E. paulo durius judicat de Honorio August. 131 n. 1.
Ambrosius S. resurrectionis locum praeclare illuminat 30-31.
Amphilochius S. 43.
Anastasius Antiochenus S. 70 n. 3.
Anastasius Sinaita 70 n. 3; 91-92 n. 1.
Andreas Caesar. 87.
Anselmus S. 126 et n. 2.
Antiochus monach. 87-88.
Antoninus de Florentia S. 154-155.
Antipater Bostr. 86, 87.
Aphraates 43-44; 97 n. 1.
Arethas Caesar. Ep. 117.
Arno Archiep. Salisb. 115 n. 2.
Athanasius S. in causa resurrectionis nihil Origenis sapientiae redolet 35.
Athenagoras, philosophus christianus atheniensis, egregie agit de identitate corporis resurgentis 11-12.
Atto Ep. Vercell. 123 n. 1.
Augustinus S.: «In nulla re tam vehementer contradicitur fidei christianae sicut de carnis resurrectione» 5; vix ullum locum in causa resurrectionis, etiam minimum, sine disceptatione et acuta explicatione vel certe ignorationis confessione reliquit 57-59; de resurgentium aetate prudenter et caute agit 251.
Aureoli Petrus O. M. 151 n. 1.

Baguenault de P. 186.
Bainvel S. J. 195 n. 1.
Bardenhewer variis locis.
Barnola S. J. 217 et n. 2 et 3.
Basilius S. exponit cur Dominus natos numero tantum pares Job reddiderit 38; nullo modo stat pro Origene 39 n. 1.
Basilius Seleuc. 54-55.

Bautain 186.
Bautz agit de mente S. Augustini 58 n. 2; acerrime notat explicationem Traditioni oppositam 192-193; 225-226.
Beda Venerabilis S. verbum fere e verbo S. Augustinum describit 93-94.
Bellamy 195 n. 1.
Bellarmino Robertus B. «totus animo doctrinaque romanus et, si ita loqui fas est, romanissimus» 155, 157-158.
Bergier 167 et n. 1.
Bernardus S. 127.
Berton C. 186; 190 n. 2.
Besson Mgr. 187.
Billot S. J. identitatem numericam corporum resurgentium dicit tradi aperte in regula fidei 1 n. 1; subtilis ejus arguendi ratio de verbo ipso *re-surrectionis* sumpta 108-109; Durandi explicationi suffragatur 199-200; strictim attingit Scripturam et Traditionem 204-207; novam quamdam formam proponit objiciendae renovationis materiae 234; refutatur 235 sqq.
Bonaventura S. locum de identitate corporis resurgentis ad universae antiquitatis normam apertissime explanat 139-140.
Bonnet 184; est auctor protestans 200 n. 1.
Bossuet J. B. splendidum dat testimonium pro Traditionis sententia 163-164.
Braulius S. 81.
Brors X. S. J. 197 n. 1.
Bruno S. 123 n. 1.
Burnet Th., protestans, irridet Patrum sententiam 176-178.

Calmet O. S. B. 162-163.
Campodarsego O. M. 134 n. 1.
Capreolus 152-153.
Cassiodorus 74.
Catechismus Conc. Trid. 158-159.
Cauly 187.
Celsus contra resurrectionem 23.
Chevé 183-184.
Clemens Romanus S. 7-8.
Chrysostomus S. plurimis locis de resurrectione agit 33-34; 97 n. 1; 98 n. 1.
Clerval A. 122 n. 5.
Cosmas Indicopleustes 88-89.
Cyrillus Alex. S. plures habet breves praecisasque sententias 56-57.
Cyrillus Hieros. S. citat S. Clementem R. ejusque mentem explanat 8 n. 2; quomodo resurrectionis dogma tueatur 32-33; 97 n. 1.

Didascalia Apost. 45-46.
Diderot contra sententiam Traditionis 178-179; 184.
Didymus non sequitur Origenem magistrum in modo explicandae resurrectionis 35-37.
Dionysius Exiguus in latinum convertit S. Gregorii Nyss. volumen in quo agitur de identitate corporis resurgentis 72-74.
Douglas Carol. Ed. accusat

Drem. Major de haeresi 267.
Duilhé de S.-P. 189.
Durandus quaestionem praecise aperteque proponit 147-148; affirmat materiae primae inesse omnem *actualitatem* a forma 242; identitatem ab identitate distinguit 243.

Eadmerus 127.
Egger Ep. Brix. 255.
Ehrle Card. 132 n. 2.
Elola Josephus de 194 n. 2.
Ephraem S. illustrissima dat testimonia 44-45.
Epiphanius S. omni via et ratione Origenem insectatus est 26-27; Origeni dat materiam fluere atque renovari 28; 97 n. 1; 98 n. 1; 224.
Estius 162.
Eugenius S. 81.
Eugippius 72.
Eusebius Caesar. in aliis quibusdam ad corpus resurgens pertinentibus peccavit, at non in modo explicandae identitatis 47-48; quaedam male sonantia 47 n. 1.
Eustathius S. explicationes Origenis carpit 22, 26.
Eustratius defendit Eutychium 70 n. 2.
Eutychius Patriarcha Const.: vide Gregorium M. S.

Feller 167; non commovetur, etiamsi ad defendendam Traditionis explicationem ad difficillimum quiddam sit confugiendum 168-169.
Ferrariensis optimus S. Thomae interpres 238.
Flourens 216.
Fremy 217.
Freppel Mgr. 188-189.
Fulbertus Ep. 122.
Fulgentius Rusp. S. breviter ac dilucide 71-72.

Gennadius, etsi parum S. Augustini studiosus, honorifice de ipso scribit in causa resurrectionis 60-61.
Getino O. P. 143 n. 4.
Ghellinck variis locis.
Gley doctus physiologus, de renovatione materiae quid sentiat 214-216.
Gotti Card. O. P. 162-163.
Grabmann variis locis, v. gr. 119; 134 n. 1; 231 n. 2.
Gratry P. 188.
Gulielmus Alvern. 137.
Gulielmus Antisiod. 136-137.
Gregorius Ep. Agrigent. 88.
Gregorius Patriarch. Antioch. 88.
Gregorius M. S. disputat cum Eutychio 69-70 et not.; Augustini doctrina plane imbutus 77-79.
Gregorius Naz. S. agit de resurrectionis modo tum in orationibus 40; tum praesertim in poematis 40-41; locus difficilis de qualitatibus corporis resurgentis 47 n. 1.
Gregorius Nyss. S. ad Origenem maxime accedit 41; habet quaedam difficillima, quae tamen solum ad qualitates corporis resurgentis pertinent 41 et n. 2; decer-

nit identitatem materiae 42-43; explicat exemplum grani frumenti ab Apostolo propositum 42 n. 3; 97 n. 1; de aetate resurgentium copiose et acutissime disputat 250- 251.
Gregorius Tur. S. 75-76.

O'Hanlon 204.
D'Hauterive 187.
Henríquez H. S. J. 153 n. 2.
Henricus Gandavensis 137-138.
Hettinger F. 190-191.
Hieronymus S. 51; 79; cineres quiescentes vocat 106; solitarium ejus testimonium in appellandis ecclesiarum traditionibus pro aetate virili resurgentium 253-254.
Hilarius S. quid adversus Origenem in suis commentariis post exilium 29-30; videtur negare materiam omnino renovari 29; ejus sententia de aetate virili resurgentium 250.
Hippolytus S. 15.
Honorius August. 130-132; non favet aetati virili resurgentium 252-253.
Huarte S. J. breviter ac dilucide 111-112.
Hugo a S. Victore totam fere disputationem de resurrectione pluribus testimoniis texit S. Gregorii et S. Augustini 128-129.
Hugon O. P. 265.
Hugueny O. P. 200-201; 204.

Innocentius V (Petrus de Tarantasia) 138-139.
Ildephonsus S. 82-83.
Irenaeus S. Traditionis maxime retinens 13-14; 97 n. 1; 98.
Isidorus S. 81.
Isidorus de Insolanis 153 n. 1.
Isidorus Pelusiota S. 43 n. 3; 56 n. 3; 70 n. 3.

Jehan 182.
Joannes Damasc. S. 94.
Joannes Mauropus 118.
Joannes Neapolitanus 148-149.
Jonas Ep. Aurel. 113 n. 1.
Julianus S. 82-83; de aetate resurgentium 251-252.
Julianus Pomerius citatur a S. Juliano 82; ejus testimonium de aetate resurgentium 252.
Justinus S. identitatem corporis resurgentis strictim sed clare attingit in prima Apologia 8-9; in libro περὶ ἀναστάσεως (?) 9.

Knoll de Bulsano O. M. 178 n. 1.
Krebs E. 197 n. 1.

Lacordaire O. P. 187.
Laforêt 189-190.
Lami 178 n. 1.
Le Noir 184-185.
Leo XIII 58; 156 nn. 1 et 2; 157 nn. 1 et 2.
Leo Magnus S. totius aureae Sanctorum Patrum aetatis magnificentissima perfectio et absolutio 52; quaedam ejus testimonia 61-62.
Leontius Byzant. 84-85.
Lépicier Card. dicit «*certam* Eccl. mentem esse ipsissi-

mas defunctorum exuvias resurrecturas» 265.
Lesêtre H. 197 n. 261.
Lessius Leonard. S. J. 160 et n. 2.
Liebermann 165.
Liturgia offert multa testimonia 101-104.
Lombardus P. totus sapit Augustinum in hac causa resurrectionis 129-130.
Lossada 221-222 et n. 1; 237.
Lull Raymundus B. 142; 144-146.

Mabillon 114 n. 1; 122 n. 4.
Macarius Magnes 53-54.
Major Dr. protestans dicit a Traditione esse propugnatam *the resurrection of relics* 108; ejus gravissimum testimonium de propugnata Traditionis sententia ab universa Ecclesia per 19 saecula 267-269.
Mandonnet O. P. 132 nn. 2 et 3; 144 n. 1.
Manegoldus de Lautenbach 114-115.
Mannens 201 et n. 4.
March S. J. 142 n. 1.
Marti Raymund. describit ex S. Thoma 142-145.
Martin H. 185-186; 190 n. 2.
Maximus S. 86-87.
Mayer A. 255-256.
Mayron Fr. O. M. 172 n. 1; 230 n. 1.
Mazzella H. Archiep. Tarent. 197-199; 203.
Meersch Van der 200; non citat testimonia Traditionis 203-204; recentiorum sententiam illustri et accurata brevitate exponit 243-244.
Melito S. 11.
Méric Mgr. 188; 217 n. 1.
Methodius S. in Origenem invehitur tum philosophice tum quasi physiologice tum allatis Scripturae testimoniis 22 et 26; negat perpetuo et omni ex parte renovari materiam 28.
Migne J. P. qui primus saeculo XIX Traditionis explicationem de identitate corporis resurgentis oppugnavit 180-182.
Minutius Felix pulchre, ut solet, de resurrectione corporisque resurgentis identitate agit 16-17.
Miquel SS. CC. 204 n. 3.
Moguntinum Conc. 115 n. 2.
Monsabré O. P. negat Durandi explicationem ab ullo sano theologo posse defendi 187.
Montagne 183.
Moreux Th. 216; 219.
Motherway S. J. 181 n. 1.
Muncunill S. J. accurate indicat quaenam sit materia cum animo in resurrectione jungenda 228 n. 1; 265.
Muzzarelli 167.

Nicephorus S. in Eusebium Caesar. invehitur 47 n. 1; 92 n. 1.
Nilus S. discipulus S. Chrysostomi 52-53.

Ockam Guliel. 170-172; dixit fieri interdum posse ut resurgens unus aliquis ex ea-

dem materia non constaret, ibid. et 175.
Origenes dogma resurrectionis defendendum suscipit modo excultiore 17-18; ejus in causa resurrectionis tria pronuntiata praecipua 18-20; ejus explicationes, etsi valde ingeniosae, nemini probantur 20-21; quinam praesertim ei adversentur 22 sqq.; numquam negavit identitatem corporis resurgentis 22-25; cur tamen impugnetur quasi negaverit 25-26; corpora gloriosa iis membris carebunt quorum nullus erit usus futurus 64; quatenus valeat hoc decretum 64 n. 1; de singulari illa «ratione quae substantiam continet corporalem» 64 n. 2; materiam in morte derelictam iterum cum animo esse jungendam Origenes confirmat tamquam Traditionis sententiam 224-225.
Oswald tenet primum sententiam Traditioni oppositam 191-194; confutatus a Bautz festinat ut in vulgus indicet se ab ea in posterum tamquam *laxa* decedere 193-194.

Palmieri S. J. in eamdem fere Durandi sententiam acriter invehitur 112; ejusdem optima quaedam responsio 211 n. 1; 221 n. 1.
Palude Petrus de benignus erga Durandum 151-152.
Pamphilus S. plures locos ex Origene promit ut probet ab eo defendi esse resurrecturos *eosdem homines, iisdem corporibus, eadem carne* 48-49; de Origenis explicationibus ne verbum quidem 49; videtur tamen illas improbare, etsi non tamquam dogmati aperte contrarias 49-50.
Paschasius Radbertus 120-121
Paulinus Nolanus S. 66-67.
Perrone S. J. 214 n. 1.
Pesch S. J. 201 et n. 3.
Petrus Canisius S. «vir catholicae fidei retinentissimus» 155-157.
Petrus Chrysol. S. 63; 251.
Petrus Damianus S. 123-124.
Petrus Venerab. affert rationes pro cultu reliquiarum 127-128.
Philoponus irridet Sanctos Patres 68-69.
Photius 68 et aliis locis.
Pierrot 182-183.
Pioger 187; 217 n. 1.
Pius IX catechismum Beati Bellarmino Patribus Concilii Vat. tamquam exemplar praecipue proponebat 157.
Pius XI ad latinum sermonem incorrupte et eleganter adhibendum vehementer hortatur atque ad id obtinendum ut nova Romae habeatur schola praecepit: in prooemio; ejus laus de S. Petro C. 156.
Portalié S. J. 132 n. 2.
Pothinus S. 6.
Prat S. J. ait ab Origene defendi identitatem corporis resurgentis 24-25.
Prevel SS. CC. 204 n. 3.

Primasius (Pseudo) 74.
Procopius Gazaeus habet locum aptum ad explicanda quaedam testimonia difficilia 47 n. 1; multos habet locos, etsi breves, de identitate corporis resurgentis 87 n. 2.
Prosper S. optimus S. Augustini discipulus 59-60.
Prudentius 65-66; de ratione cultus reliquiarum egregie canit 106-107; 249.
Pujiula S. J. 219 et n. 1.

Querci Florent. 178 n. 1.

Ramírez O. P. egregium testimonium dat pro Traditionis sententia 266.
Rath 135 n. 1.
Remigius Antisiodor. 123 n. 1.
Rhabanus Maurus 120 et n. 2.
Robert 114 n. 2.
Rodríguez Carracido negat renovationem totius materiae in homine 217-218.
Rufinus 50-51.
Ruiz Amado S. J. 197 n. 1.
Ryckel Dionys. (Carthusianus) 154-155.

Sabunde 183.
Salas Joannes S. J. 153 n. 2.
Sales Marcus O. P. Magister Sacri Palatii splendidum dat pro Traditionis sententia testimonium 265-266.
Salmanticenses 261 n. 1.
Samson Abbas 113 n. 1.
Samuel Ep. 113 n. 1.
Scaglia O. C. R. 250.
Scheeben 154; 165 et n. 2.
Schell H. 191.
Schwane 134 et n. 2.
Scotus 139.
Soncinnas 153 n. 1.
Sophronius S. 85-86.
Soto Dom. O. P. 161-162.
Suárez 257 n. 1; explicat quid sit temeraria sententia 260-261.
Sylvius 162.
Synesius Cyren. 56 n. 3.

Tajus 82.
Tanner S. J. 255.
Tanquerey sibi contra recentiores a Traditionis sententia fortius standum esse duxit 263-264.
Tatianus 10-11.
Terrien J. B. S. J. prudenter judicat de aetate resurgentium 256.
Tertullianus dicit «restitutionem carnis ab omnibus philosophis negatam esse» 5; traditam de resurrectione doctrinam exponit in libro *De carnis resurrectione* 16; 97 n. 1.
Theodoretus 55-56.
Theodorus Stud. S. Traditionis maxime retinens 116-117.
Theophilus Antioch. S. adducit simile vasis confracti 13.
Thomas S. 132-135; perpetuo pronuntiat fore ut resurrectio traducatur ad rem, juncta ea quae prius erat hominis animo formata materia 133; habet hanc explicationem tamquam unicam et veram 134; affirmat eam materiam cum animo junctum iri quae tempore mor-

tis animabatur 226-232; si tota materia simul renovaretur, corpus esset aliud 237-238; de identitate aut differentia materiae sub eadem etiam forma saepe loquitur 243; sententiam de virili resurgentium aetate praefert quidem sed non magna firmitate 254.
Tostatus Alph. 154-155.
Tridentini locus gravissimus de resurrectione corporum 99-101.
Turonense Conc. 115 n. 2.

Val Honoratus del O. S. A. 201 n. 2.
Valencia Greg. S. J. 172-175; dixit fieri nonnumquam posse ut aliquis homo resurgat, idem habens corpus aliam vero materiam 175.
Vernet F. 128 n. 2.
Verworn 217-218 n. 1.
Victoria Franc. de O. P. 160.
Viennensis et Lugdunensis ecclesiarum epist. 6; 13.
Villelga Em. 197 n. 1.
Viller S. J. 186 n. 5.
Voltaire irridet Traditionis explicationem 166.
Vorst Van de 116 n. 1.

Walafridus Strabo 121-122.
Walfredus quidam resurrectionem impugnat 114.
Waterkeyn 190 et n. 2.
Weddingen 190.
Wulf 125 n. 1; 132 n. 2, 3.

Zeno S. Ep. Veronensis Patribus usitata similia eleganter exornat 31-32.

237.7
Se37

5858

SEGARRA, F.

AUTHOR

De Identitate Corporis Mortalis

TITLE et Resurgentis

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER

5858